

IHS


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 MC
27

MISOPONERI SATYRICON.

Cum notis aliquot ad obſcuriora proſæ loca, & Græcorum interpretatione.








B. S.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud SEBASTIANVM VVOLZIVM.

M. DCXVII.



POTENTISSIMO

AVGVSTISSIMOQVE

REGI,

IACOBO I. MAGNAE BRITANNIÆ, &c. MONARCHÆ,

Misoponerus. S. D.



ECCE arma, INVICTISSIME REX, quibus vsus in propellendâ capitalium facinorum manu, VIRTVTI, ac perpaucis iis, qui sub tantæ DIVÆ signis militant, inter quos IMPERATOR clares, aliquam meo fortassè SATYRICO operam posuero. Ad illorum fulgorem frendent scelera, fremit ignorãtia; illa quòd ex aperto peti se vident, ista quòd ex occulto; eóque magis, quòd

quum cæco vulnere, ſtylo ſcilicet SATYROGRAPHI ſolis doctis cognito feriatur, quam parmam opponat non aliam habet, quàm hanc in incude ſuâ procuſam, MISOPONERVM obſcurũ eſſe. Et id eſt quamobrem, ſi non alio merentur titulo, arma mea quòd Inſcitiæ & Sceleri infenſa, non niſi DOCTRINA pariter ac VIRTVTE præcellenti addici debent. Ecquis autem in alterutrà palmam tibi præripiat, qui cum IMPERII ſolio, SCIENTIARVM ſceptrum, VIRTVTV'MQVE coronam habes, quibus REGIE, SAPIENTE'RQVE, ac DIVINE dominaris? Et, ſi me audit ſummus ille qui apud Orpheum Βιοδώτωρ, ampliſſimis cultiſſimiſq; tuis regnis dominaberis, per quot ætates anguſto ac inculto imperitauit.

Νέστωρ ὃς ῥα Πύλοιο ἄναξ ἦν ἠμαθόεντος.

De hoc quidem voto ſpondent hæc arma, quæ tuo dico armamentario, non

Mar-

Martio quidem illo, quod in turri habes, quam Semiramidis opus nemo non dicat, sed Palladio illo tuo, quod docti omnes ab ipsâ Mineruâ aduersus ignorantiā scelerum altiicem tibi paratum sciunt. Quia non à triarij manibus MAIESTAS tua dedignari potest; verùm quia in SAPIENTIÆ simul, & VIRTVTIS hostes à misoponero sumpta sunt, SAPIENTIA & VIRTVS tua, quæ certissimâ famâ tam clarè micant, vbi gentes barbaras lustrat Australis Canopus, quàm vbi Aquilonaris Arctos florentissimis tuis regnis tecum illucet, non possunt dedignari: immò cum istis illa non potest. Hoc enim in imperio tuo imperatorium maximè, & quum diuinum dico, sanctis Veritatis finibus non excedo, quòd nihil velit, nihil imperet MAIESTAS tua, nisi de voluntate SAPIENTIÆ, & VIRTVTIS imperio, quæ consultrices fidæ thronum vsque tuum circunstant. Im-

pera longùm cum iſtis, æui noſtri ΤΡΙΣΜΕΓΙΣΤΕ, & ſuum cuique ſæculum dent parcæ tres, MAIESTATI ſuum, ſuum SAPIENTIÆ, VIRTVTI ſuum. Quin potius quia in te iſta, AVGVSTISSIME REX, non diſſociantur, tria ternis iunctim concedant, vt ætatibus tribus Neſtor, totidemq; conditionibus Triſmegiſtus, viuas in poſterum vt ille, qui vt iſte hactenus imperaſti. Vale.



DE HVIVS SATYRICI AVCTORE.

Ipsius haud opus hoc, molitus Scaliger haud est.
Ergo quis? doctus nonne Casaubonus est?
Sed bonus iste malis malus instat MISOPONERVS,
Ergo Casaubonus est, Ergo Casaumalus est.

I. A. M.

EMBLEMATA ET TABELLÆ QVÆ IN HOC SVNT SATYRICO.

De coclite pietate, numero IX.
De vitâ moriente, num. X.
De variis affectibus qui hominem vexant, num. XI.
De corporeis ærumnis quæ eundem affligunt. nu. XII.
De mortibus quæ puero ad latus, à tergo viro, antè seni, num. eod.
Speculum vitæ & mortis, ibid.
De noxio hypocritarum consortio, XXXI.
De Aman, XXIII.

DESCRIPTIONES.



LECTORI MISOPONERVS.

NOménne meum ſcire haues? hic habes: paternũ quidem iteratum in imo, hæreditarium ac maternum in verſu ſummo, neutrum tamen nihilo magis videas, quàm quæ hic alia ſub velamento, niſi hauſto priùs ad acriorem aciem aceto ſcillino accedis: id ſi guſtaſti, guſtaueris acetum mei SATYRICI; ſin minus, ad guſtum non fecerit. Tralaticium nomen, MISOPONERVS eſt: odi quippe vitia, & peſtem in primis humanæ ſocietatis Hypocriſin: en obſignatas in hoc ipſo SATYRICO tabulas, in quo hanc ſparſim, illa paſſim in ætate omni, ſexu, gente inceſſo. Inceſſo, inquam, & iam fugo, quæ odi ſemper, & fugi. fugi, ſed haud ſemper effugi: illud enim poſſumus homines, hoc ſoli Diui. Nec verò ſat mihi, quo mearum poteſt infirmitas virium, pede fugere; vt vitia fugias etiam enitor. Nam ad illorum odium & fugam me hortatorem habes, quàm vellem & pro voluntate ducem! ſtrenui equidem laudem promererer, nam odiſſe, & vitia fugare, vincere & frangere eſt.

MISO-



MISOPONERI SATYRICON.



Plus æquo calet ira peßimorum,
Quam prudentia vitat optimorum:
Hinc non est Satyra mea ſat ira.

I.



O SATYRICÆ LIBERTATIS membra ſiderata! ô ſeruitutis iugo caput ſubditum! ô linguam occluſam, ne dicam exectam! ô & manicis, & chiragrâ manus implicitas! ô pennas miſerè deciſas! Aſſurgit vitium, & nemini liberum homini inſurgere; Hiſpanè dominatur, & Caricè cedunt, & ſe dant omnes; Supra Thraſonem militariter minitatur, & ſupra Atym pueriliter obmuteſcimus; arma ſtringit in probos, & nemo calamum in improbos; orbe toto volitat, & nullus volat Calais, Zetes nullus. Eminuerò metuunt omnes. Atqui timor de ſeruâ ceruice durum ſæpè iugum deiecit, & im-

& imponet vestræ? ô liberi liberalium artium liberi: linguam natiuo impeditam vinculo expediuit, & vestram impediet? ô facundiæ proceres: articulari sonticóue iacentes morbo in pedes dedit, & probroso vos ille veterno sopiet? inertes pigro ignauiæ sinu manus euoluit, & inuoluet vestras? ô docti laboris studiosi: addit alas implumibus, & suas vestræ gloriæ detrahet? timidissimarum etiam auium alas explicat, & vestras complicabit pennas? ô luculenti scriptores. An metus metuendus hodiè magis quàm olim? an cicuta illa quæ masculos & calentes animos euirat, & refrigerat, & violentior & virulentior nunc est? Fuit semper quomodo nunc, subitum Libertatis venenum timor. nihil enim liberum, quod trepidum est; & tantum quis liber, quãtum intrepidus. Vt vmbræ terminus lucis est principium: sic timoris finis, Libertatis est initium; inde ista incipit, vbi ille desinit. Eia igitur Fiducia ægræ Libertatis panaces, & miseræ seruitutis vindicta, eia, languidos animos excita, iacentes erige, seruientes manumitte. Tu verò malè libera Libertas, quæ quantum non Prometheus, vinciris; quantum non Cinesias, ægrescis, si qua tibi generosi stilla sanguinis etiam nunc sub corde feruet, pristinas vi-

vires exuſcita, confirmare, téque quibus vanus timor attinet abruptis vinculis, aſcende in antiquum honorem iuris Quiritium, vt altiores in conatus erecta, doceas ſæculũ iſtud, non quæ pro virtute, ſed quæ pro ſcelere ſit Libertatis amantiſſimum, ſopitam hactenus non extinctam, infirmam non emortuam Satyræ magnanimitatem fuiſſe. Virtus in arduo ſui montis ſupercilio attollit ſigna, claráque tubâ ſuos in prælium vocat: tuæ te non Reginæ ſiſtes, pro quâ confidenter quondam arma capeſſiſti, iam capere dubitabis? quæ in illius * hoſtes Pentheſilæa fuiſti, iam cum Helenâ ta- * cita,

---ſecreta in ſede iacebis?

& in vitiorum pugnam non venies? Exurge & erige te, i, vola, brachium expapilla, ſceleſtos inclama, & tuo & maiorum more adorire, vt, quo ſeruiliter premeris excuſſo iugo, ſplendori priſco marcentem gloriam reſtituas.

II.

Decumbes ſemper ne toro luxata? timebis
Hiſcere Libertas Satyræ ſempérne? vireſces
Quando iterum probro vitij, & Virtutis honori?
Robore collecto pudibunda quando cataſtæ

Dedu-

Dedecus effugies? ſeruilibus aſſere tandem
Aſſere te vinclis, damnarunt crimina quîs te
Troiugenum; diſrumpe moræ retinacula, Virtus
Te vocat, & cultrix turba exiguiſsima Diuæ.
An Satyræ expectas antiquo robore ſupra
Robur Ariſtomenis fortes? Græcóſne Cratinum,
Eupolin, & reliquos? Latios an forte requiris?
Arunci vatis, Perſi, Iuuenalis, Horati,
Impuri purè Petroni, Sulpitiæque
Anne palingeneſi repetent noua corpora mentes
Doctæ amentato ſceleratos figere verſu?
Illos terra tegit: tantùm vnos occupat artus
Spiritus: æterno conduntur funere manes.
Qui ſemel intrauit capulum benè mortuus, egit
Ille ſuas partes; vna eſt plus fabula nulli.
Expectare nefas flammæ quemcunque rogales
In cinerem ſoluêre: caret phœnice ſecundo
Mundus, & haud vllum fouit Cunina renatum.
Qui ſpirant ſperare potes: vitalibus auris
Qui veſcuntur habes: nigra ſua nomina debet
Deſpuere in mores doctus Barclaïus vrnæ.
Hinc refloreſcat tua gloria, gloria ſanctæ
Et virtutis. Hyperboreas ad, pallida, terras
Crimina profugiant: montes ſeptémque trioni
Suppoſitos, volucres vbi, dum iuga vellere canent
Parrhaſio, nigricant; canent dum Sirius agros
Exurit. Pete ſuppetias ab arundinis huius

Felle:

Felle: meóne iubes hunc compellarier ore?
Obsequor, ecce manum vndenis bis versibus apto.

III.

Adsis prastò licet doctus Podalirius agris,
Exulat haud morbus: patriis quin firmior hæret
Finibus, & nunquam terris consistere non vult
Quas colimus, risúque tuam deludit opellam
Lusinine, ioci insani fæcunda Libido.
Pharmaca Pergameâ dulcescunt scilicet arte
Sanandis condita agris. mala maxima magnis
Sunt curanda malis. sæui Paracelsus habebit
Spumosas stibij vires: vrge scelus vrge
Acribus; vre, seca. Summo sed parce Diali,
Natis parce Iouis, Iouis atque nepotibus vnctis.
Quidquid at vsquã alibi vitij est, vehementior arce.
Cuncta Poneropolin secedent crimina, nobis
Et Probitas hîc iura dabit. Quis mascula segnis
Corda timor frangit? cessas? Euphormio non es
Ni fidenter agas; In lauâ parte papillæ
O mihi si tantum saliat, quantum tibi: nusquam
Temperet à vitiis poscâ mea dextra fricandis,
Dux quantâ obiectas detriuit Punicus Alpes.
O quot Demiphonas mactem, mactémque Chremetas
Phormio: Aristophanis sit qui volet esse, Terenti
Phormio sim; exagitare lubet, non ferre scelestos.

Valeant valeant qualiacunque mea carmina, aliquid fortis habeant elegidiorū Tyr-
* tæi: quintò atque etiam sextò in aciem veni
* magne Phœbi sacerdos,

Totus collucens veste, atque insignibus armis.

* facies, ita supercilium salit. Nihil enim te, siue querelæ, siue consciorum minæ, morari debent. Virtutem scelus adlatrare potest, mordere non potest, supra summum cum sideribus elementum fulget illa, hoc in infimo cum
* belluis repit. Præmicans stellarum princeps,
* quæ fraterni dispendia luminis suo candore reparat, nocturnos canes non timet. Ibis ergo audentior, & Satyrarum armis immortalitatis marmori nomen perges incidere. Verùm,
* nullúsne Patroclus Achillem comitabitur? triarium nullus hastatus? in vitiorum pugnam solus iste succedet subsidiariis destitutus? Vbi virtutis amor, vbi odium vitij? in imis ignorantiæ? in primis potius doctrinæ subselliis. Proximè, si non simul, habitant virtus & doctrina, & hæc illi vicinitatis officia præstare debet. Quin ergo doctorum stylus & lingua in vitiorum opprobrium, & virtutis laudem conferuntur?

IV.

IV.

Omnibus est sub corde lepus, nemo excutit illum,
Vt quondam Oenotrias generosa Britannica turmas
Irruptura: timor linguámque stylumq; coërcet;
Quando supplicium mimis, satyrísque paratur
Stateriј; tacitis & præmia, Vespasiani
Qualia donarunt Tacito sermonis auaro,
Annutat vitiis fortis quicúnque beatæ
Nauita, ad auratum expandit sua carbasa vellus.
Panthoidi studuisse iuuat. pro tempore clusis
Harpocratem simulare labris compendia præstat
Ad decies centena. Nouas qui fingere frontes,
Aut linguam frænare nequit, dormiréque visis
Criminibus, ne se speret iurare suprema
Numina, sed tantum mediis in equilibus Hippo.
Glossocomo non theca modò pretiosior vlla.
Infelix quicúnque nepâ sub sidere cunas
Incipit implere, aut mordet quum Sirius arua.
Felix in genesi quisquis spectatur ab astris
Piscibus, adiectis dispensaturus in annis
Verba, nec in cunctas sparsurus semina linguæ
Auriculas. Nam rhinolabis torquebat vt olim
Tam vitiis fœdos, quam magnis naribus, vt tu
Quem patrem *dicunt tua nomina versa* malorũ,
Stillantis cuius longâ plus fornice nasi
Vmbratur mentum, barbâ quam Brasilianâ:

Valeant valeant qualiacunque mea carmina, aliquid fortis habeant elegidioru Tyr-
* tæi: quintò atque etiam sextò in aciem veni
* magne Phœbi sacerdos,

Totus collucens veste, atque insignibus armis.

* facies, ita supercilium salit. Nihil enim te, siue querelæ, siue conscioꝛum minæ, morari debent. Virtutem scelus adlatrare potest, mordere non potest, supra summum cum sideribus elementum fulget illa, hoc in infimo cum
* belluis repit. Præmicans stellarum princeps,
* quæ fraterni dispendia luminis suo candore reparat, nocturnos canes non timet. Ibis ergo audentior, & Satyrarum armis immortalitatis marmori nomen perges incidere. Verùm,
* nullúsne Patroclus Achillem comitabitur? triarium nullus hastatus? in vitiorum pugnam solus iste succedet subsidiariis destitutus? Vbi virtutis amor, vbi odium vitij? in imis ignorantiæ? in primis potius doctrinæ subselliis. Proximè, si non simul, habitant virtus & doctrina, & hæc illi vicinitatis officia præstare debet. Quin ergo doctorum stylus & lingua in vitiorum opprobrium, & virtutis laudem conferuntur?

IV.

IV.

Omnibus est sub corde lepus, nemo excutit illum,
Vt quondam Oenotrias generosa Britannica turmas
Irruptura: timor linguámque stylumq; coërcet;
Quando supplicium mimis, satyrísque paratur
Stateriij; tacitis & præmia, Vespasiani
Qualia donarunt Tacito sermonis auaro,
Annutat vitiis fortis quicúnque beatæ
Nauita, ad auratum expandit sua carbasa vellus.
Pantheidi studuisse iuuat. pro tempore clusis
Harpocratem simulare labris compendia præstat
Ad decies centena. Nouas qui fingere frontes,
Aut linguam frænare nequit, dormiréque visis
Criminibus, ne se speret iurare suprema
Numina, sed tantum mediis in equilibus Hippo.
Glossocomo non theca modò pretiosior vlla.
Infelix quicúnque nepâ sub sidere cunas
Incipit implere, aut mordet quum Sirius arua.
Felix in genesi quisquis spectatur ab astris
Piscibus, adiectis dispensaturus in annis
Verba, nec in cunctas sparsurus semina linguæ
Auriculas. Nam rhinolabis torquebat vt olim
Tam vitiis fœdos, quam magnis naribus, vt tu
Quem patrem *dicunt tua nomina versa* malorũ,
Stillantis cuius longâ plus fornice nasi
Vmbratur mentum, barbâ quam Brasilianâ:

Iam lingua addicta est pœnis, si longior extat,
Quam teres ad fricti Turcarum numus emendam
Scutellam ciceris, vilémque nucum decada: hinc fit
Vt paucas scribam satyras non plenius æquo,
Et decurtatâ recitem mea carmina linguâ.

Ipsa illa causa est, cur Satyricum librum scripturus, immò meã ipsius vitã potius, quæque per eam vidi, vici, risi fleui, & quæ familiares (quicquid enim hîc, aut ex veritate, aut * allegoriâ dictum) receperim me, non in Drusi quidem palatium quoquouersus fenestratum ac patens, sed in abditum mysteriorum adytum, in quod aditus solis sit augustis Musarum mystis, non prophano insciențiæ vulgo.

V.

Apage igitur à me omnes, quos saxificum illud monstrum, ignorantiam dico, stupefecit, quibus oculi sunt, instar talpæ, velo obducti, aures turdi garrulitate obtusæ, nares lutulenti animalis obesæ, scarabæi gustatus assiduo fimo vitiatus, & stupidus torpido frigore tactus ostreorum. Apage, inquam, illos semitarios literatares, qui quum nec doctorum censum, nec habeant doctrinæ sensum, censeri volunt eruditorum Patricij, vt importu- * ne loquacitatis ille, qui apud Venusinũ vatem,

Noris

Noris nos, inquit, docti sumus.

Illos quæro, qui tam longè istos superant, quàm Thessali generositas quadrupedis, Arcadicæ quadrupedis tarditatem: illos volo qui volant, vbi alij repunt; peruident, quæ vix alij vident, & adsequuntur, quicquid odorantur. Adeste vos igitur, & perspicite aquilinè, audite leporinè, gustate protogeusticè, odoramini caninè, humanè adtrectate, quæcunque nubilis hîc verbis, fuscísque coloribus obtego; quæcunque roscidis floribus, & inexploratâ conditione struo; quæcunque denique vario, sed vero acroamatum amictu inuestio.

Nosce tuam Mentæ Taphiâ sub veste Mineruam, Telemache.

VI.

At enim imperitus de ignorantiæ oneio censor ordientem iam nunc Aristarchico veru me carpet, quia non capiet characterem scribendi meum, & vellet molliorem, nescio an meliorem. Quî enim de virilibus armis iudicet, fœmineis colis assuetus? quî de robusto stylo cognoscet, qui norit eneruem tantùm, & sportâ proprium? quî de amaris Satyræ salibus, qui nihil quàm fatuos humilis ingenioli

versiculos gustarit? Quisquis es, hæc ego ad * te, quæ tum capias, quum Mygdonias decurtatus aures, Latiam Atticámque in te produxeris eruditionem.

Pertinet haud si quis longis asininus ad ista
Auribus, ô Scotinum, clamat, salebrosáque verba!
Siccine Romuleos licet infuscare nitores,
Et verbis dare sceptra nouis? ô gloria prisci
Marce fori, eloquij ô rectissima norma Latini,
Testor te, manésque tuos, tua verbáque testor.
O caput abscissum statuæ humano emplastranda,
Truncóne tu mihi legem præscripseris? ergo
Pallada sus doceat, cæcus Typhíque ducatum
Præstet, & à cæco designet sidera ponto.
Armata & soleâ & ferro quantum vngula nescis
Possit in attritam pistrini calle petroso.
Inuidia indoctus doctis quam suscitat, aurum est,
Quo sonipes Nisæe tuam sibi præstinat Arcas
Famam animal. Nostri hæc illa est dementia sæcli,
In quo quicunque est criticus, censetur Apollo,
Et doctus, quicunque vibrat conuicia doctis.
Carpere multorum est, paucorum scribere doctè.
Dic sodes quicunque notas mea carmina theta,
Quòd non nota tibi: quis iudex non sibi nota
Crimina damnauit? quis cæcus risit Apellem?
Tun' fractis iubeas Satyram mollescere verbis,
Ore puellari censuram & obire Catonem?

Quin

Quin caudis ergo pinnatis vrget agaso
Terga assueta malis? Alcides robur & æra
Quin ponit, Lydiámque colum quâ monstra repellat.
Corripit? Argiuam infestantia monstra paludem,
Monstra Molorchææ infestantia prædia villæ,
Scilicet eneruus cadet muliebribus armis.
Et me posse putas scelerum exarmare cateruas,
Non alio armatum quàm carmine prætextato?
Heu quam difficile est morum peruincere monstra!
Monstra vel in tenero Chironi fortia pupp̄o
Responsare. Breuis dictum narratio signet.
Parisiis vbi ponte nouo connectitur vrbi vrbs,
Ripa maritatur ripis, Delphínque monetæ,
Vidi ego raptantes natum patruúmque patrémque,
Atque intentantes & fronte, & lumine, sæuas
Et rigido ore minas, motísque per aëra dextris
Anguillæ exuuias, torto quia sæpe fritillo
Excuteret talos. iurabat verbero Diuos
Se cane quem adlatrat rabiosa Canicula cælo
Osurum peius canis infelicia puncta.
Inde vbi lustrauit ternis sol orbibus orbem,
Docta in Athenæi forsan musæa, cupido
Me nouitatis amans traxit nouitatis amantem.
Doctor ab exedrâ referebat: gaudet acerbo
Plagarum strepitu: & nullam Seirena flagellis
Cōparat Antiphates trepidi Laris ac Polyphe-
Ecce sub hæc pater ecce pater patruúsq; retractis [mus.

Postibus intrarunt; patruo sunt cingula, patri
Taurea; & iste boans, Pereat malè flagrio sectus
Verberibus, clamat, curata cucurbita qualis
Cæcilio: Scelus; ille iterat, scelus omnia dorso
Damna ferat, quæ ferre queat Spartanus ad aras.
Cæditur hinc illinc proprio iam sanguine litet
Mercurio. Quid plura? puer dum mæret acerbo
Plagarum strepitu, geminatur, gaudet acerbo
Plagarum strepitu, *patruo cum patre notatis.*
Crastina ad Antipodes lux protelauerat umbras,
Quum stabulis quà rana dedit sua nomina, solus
Tenderem ad Regina tuos Valesia xystos;
Perditus ecce nepos scuticarum victima, talos
Ad lauam quatiebat inops thoracis & assis.
De petaso certamen erat. Quos criminis anthrax
Vertit in Aethiopas, quantæ est abstergere molis,
Et dare Gallorum lac à virtute receptum!
Quis dicat Nymphas assueto pollice molli
Serum operi fusco candorem inducere Mauro?
Herculeis opus est manibus, balineique fricatu,
Et fortè incassum. Vitium obfirmatius hæret.
Extima non illo cutis est piceata, sed ima
Viscera sunt. Opus est firmo conamine firmis.
Tantùm hodiè scelus à teneris occalluit annis,
Vis ut nulla patris, patrui vis nulla, magistri
Nullaque vis valeat minimas exscindere fibras.
Intima nam longâ radice ad Tænara tendit.

Ergo

Ergo fœmineâ quid me vis scribere dextrâ,
Et neruos laxare meos malè sane? labellis
Inijce epistomium, rudere in ver differ, asellis
Enormen quando vocem catulitio promet.

Iam quando repressus sonus ignorantiæ absonus, attende Lector, & intende aciem, sed mentis in primis. parum tibi sit verba legere, quorum etiam syllabas elemẽtarius puer coagmentet: intus lege & intellege.

VII.

ANTE fui quàm fuerim (mihi iam nunc fidem abnuis? crede quasi iurato) antè, inquam, quam fuerim, fui in labyrintho tenebris vltra Cimmerias inhorrente, vbi Lyncei, & nomine Strabones tam cæcutierunt, quàm lippi, quàm reapse strabones: immò quàm cæcissimi quiq; de tribus cæcorum Parisiensium centuriis. In eius meditullio consistebat monstrum nomine Chaos, Gnosio longè monstrosius, vt pote quod aluus ceti iugeri capax, forcipes polypi denticulati, collum cameli multipedale, Meleagrææ feræ dentes exerti, hiatus latè patens crocodili, stellæ denique marinæ confusa mẽbrorum permistio deformarent. Tantum porrò abest, vt exitialium more pestium ad quas *
*

mundus olim expalluit, fulmineum minotauricidæ gladium, falcatam Gorgonoctonis harpem, æratam Scytalosagittipelligeri clauam præformidarit, vt omnes etiam monstrorum domitores imo suæ voraginis fundo, velut in septo Dædaleis flexionibus inuio, in circunfluis Athlantici maris insulis, & subterraneo Caci specu, obscuræ vinculo seruitutis multũ diúque attinuerit; nec abire siuerit, nisi de Iouis vnius imperio. Nam extra eum nullus est superûm, suæ qui potestatis fasces eò inferat. Quoties autem quempiam ex teterrimo illo ergastulo emittere vult, non alium habet administrum, quàm Cyprium numen. Et verò Venus Ariagna est, quæ ab hinc annos plus minus triginta, secundo die quàm cælestis leo propiore sole incalescens, æstuoso rugitu terras & terreret & torreret; quo tempore candicans Aquila, quæ à Septentrione auitis & regiis insessum liliis aduolarat, Galliam nostram non ex omnium moderabatur arbitriis; per amfractus longè obscurissimos sordidissimósque, integram noctem Ogygiam actũ me, per breuem demùm posticulam in locum vitali luce gratissimum perduxit. Dicas egressum esse, per quem Encolpius Gnythona extrahit apud Arbitrum: aut fœtenti aquæductu,

ctu, & iugi aquæ, non quidem fontanæ, sed marinæ defluuio madidam Capenam, non tamẽ triumphalem. Nemo enim per illas angustias victor permeat, sed victi omnes: nemo ïo ïo, sed Oebalij floris querelas omnes omninò clamant. Quis Rex tam regius, qui regiè vitæ limen inierit? Regibus veniẽtibus Triumphalis porta præcluditur, vt & pauperculis: at discedentibus illis iuxta ac istis, sola Libitinensis patet. *Eadem omnibus principia, eadémque origo,* ait Seneca; cuius bonâ cum veniâ exiguũ velut obolum de meo lubens adiecerim eius aceruo, non tam pecuniæ, quam quidem effusus paupertatis laudator amplissimam possedit, quàm sapientiæ, cuius ditior multo fuit: idem finis, idémq; terminus omnibus est: omnibus à sterquilinio ad sterquilinium iter est. *

Omnes eodem venimus ex loco:
Omnes eundem cogimur ad locum.

Sabæi odoratã segete quamlibet locupletes in fimetum Reges abiiciunt, quos à fimeto abductos, ad fimetum natura iamdudum designarat. *

VIII.

Vos tamen ô sordes, & recrementa leuantis

Ilia Naturæ,conquiritis vndique moſcum,
Panchæas ſegetes,& ballenatium aroma,
Et pondus ratium,& reflui eiectamina ponti.
Quin ipſi vomicas caprarum emungitis,vt qui
Putor inhæreſcit membris reprimatur odore.
Scilicet æternos ſicco de puluere plebes
Cenſebit vos eſſe Deos,& nectare poto
Efflare ætherei immortalia munera ſucci,
Partitúmque Iouem vobis ſua fulmina. Fœtor
Nunquam non mortalis erit mortalibus,vnde
Exierint,& quò tendant diſcetur odore.
Humanum ſapimus,ſapiunt cæleſtia Diui.
Cœlituum eſt odor ambroſius, graueolentia terræ
Eſt hominum. Semper redolent ſua flumina piſces:
Hi fatuas ſtagni,ſalſas illi æquoris vndas.
De gente hircosâ ſis,aut non Centurio ſis,
Diceris.cunctos ſpurcauit Cypris in aluo.
Summatum haud ſatis eſt aſſentatoribus, albis
Et pullis Veneris,puluillos atque locellos
Infarcire opibus beneolentibus,vnguine crines
Perfundunt, Syrij quod mittit littus Orontis,
Et centum libris foliati:naribus aptant
Olfactoriolum peregrino munere diues.
Putidulam mulcent fragranti pectine barbam,
Peniculóque putris perſperſo fæce Zibetti,
Sed ſub odore latent vitioſa putredine membra.
Quàm latè fallax hominum ſimulatio regnat!

Pariſiis

Parisiis molli mihi forte lanugine malas
Nudabat tonsor, demittebátque capillos
Vertice forficulis. Alabastráne nardina Cosmus
Infregit solido? quis odor se naribus, inquam,
Abdit? ô ambrosiam! ô opobalsama, bdellia, costum!
Hícne theatralis fit sparsio? perpluit imber
An crocinus caueam? Syllanáne funera flagrant?
Ver Arabum, Cilicúmque decus, decus atque Sabæum
Hícne rogo tristi, & lachrymoso funere rident?
Quis nouus huc Deus aduẽtat? Venus hícne triũphat?
Hácne aditura suum decurrit Adonida? num quis
Antiochus stolido duo quadrantalia nardi
Inflixit capiti? Dicenti talia tecti
Clarescit stridor currus. odor Indus odora
Incrementa capit propior quo rheda. Quid? inquam.
Plura loquuturi sternutamenta retrudunt
Verba parata sequi. Vitreis iam clara fenestris
Proximat. Ecquis te dignâ laude efferat? ecquis
Te spectando oculos satiet? Danaeia cedat
Forma tuæ, fuluum potuit tantùm illa metallum
Attrahere; at Serum trahis ad te vellera, diues
Qui dein Sequanicas qui riuulus influit vndas
Infectu meliore beet: tibi rubra monile
India Erythræo lectis in gurgite baccis
Nobile, & Eridanus Clymeneia germina, Maurus
Vegrandis de dente feræ candens ebur, omnem
Aequoream Proteus tibi gazam sufficit. Hermes

Dixerit

Dixerit hic quicquid minus est. Halatibus ictus
Fœmina, & eois, dicebam talia, donis.
Arte Machaoniâ, & sanando vulnere præstans
Tum mihi; Quid fallax te, credule, ludit imago?
Externis adhibere fidem non pectoris acris,
Sed fatui est. ne crede oculo longinqua stupenti,
Nec naso inconsulte tuo. Quid pulchrius hydræ
Pelle coloratâ, graueolentius & quid odore
Est acopi? nocet illa tamen, iuuat iste. Quid ergo
Sensibus accredis? quæ fœmina transiit ædes
Tam mihi nòta, suo quàm fœmina nota marito:
Plagosa est paßim, paßim cauteria putres
Stigmate linenti deformauere lacertos:
Abscessu coxæ turgent, latus vlcera sulcant.
Curandi mea cura, meo tentata specillo
Vulnera, testantur fari me voce fideli.
Obturata velim toties spiracula nasi,
Pyxidulis, ô Cosme, tuis, aut pollice, quando
Malobatro intristi redolentia cinnama mixtim;
Liuenti quoties iuuat exsaniare cruorem
Buboni impactum. Non sic ieiunia fœtent
Verparum: non sic Montis Falconis ab altis
Arboribus, quæ iustitiæ monimenta seueræ
Dependere vides: non sic lanionia putet
Pone Nauarræum musæum semita, postquam
Buplegi famuli iugulauerunt hecatomben
Tot coruis, tot vulturiis implumibus. Afri

Attritæ

Attritæ nares, nares quas Polypus vncis
Implicat inuictis, quales, Pasqueta, tuæ sunt,
Fœmineam haudquaquã poßint tolerare Mephitim.

IX.

Eduxerat me Diua
---per quam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis: *
& longè latéque patentis insulæ vndique Oceano incinctæ, ampla spatia dederat peragranda. Non enim nascimur quieti, vt ostrea, sed motui, Hamaxobiorum in morem nullibi * terrarum certam sedem posituri. Dum hîc sumus, peregrè sumus: & ingressus vitæ, viæ ingressus ad mortem est. At nascentium tenellos pedes, tenellam tibiam, laxata, & quasi luxata poplitum internodia, quum non ita properè solidet Statanus, non currunt, non * eunt; stant, immò vincti iacẽt infantes. Vt qui in concitatissimis nauibus feruntur, immoti mouentur, & iacentes humanum cursum currunt, & nos grandiores cum illis. Ille aut sus hominum, aut suum homo Clearchus, in dif- * fluente saginâ, etiam per vitam sepultus, non lentiore, quin gradu potius citatiore, quàm Philonides, transcurrebat annos. Nullus in * hoc

hócce ſtadio tardipes, nullus ſpectator; omnes
* curſores ſumus, omnes Hemerodromi. tãtùm-
* ne? immò etiã Nyctidromi. Neque enim quaſi
tantùm curramus interdiu, nomẽ in nos illud
cõpetit, cõpetit & iſtud quòd etiã noctu. Siue
aureo curru ſolẽ celeriter agi, ſiue argenteo
Lunam videmus, agi nos eâdem celeritate
ſciamus. Sine morâ curſum vitæ currimus,
etiam de nocte dum quieſcimus. viuere enim,
peregrinari eſt, & vita via. Infantem ex ma-
tre vides exire? ire ſcias. quò? quo nos qui iam-
dudum exiuimus, iamdudum abimus. At quò
tandem? Pyramis eſt in ipſò vitæ propylæo,
quæ doceat. Vidiſtis, ô mortales, illam? non
credo. nam præterquam quòd illic immoran-
* di, facultatem nemini facit falcifer ille Deus,
ex opaco ſinu in vitalem lucem prodeuntium,
lumina inſueta lumini caligant. Non vident
homines, atque adeo neſciunt, quæ ſit illa vi-
tæ pyramis, niſi quibus obſtetrix ſapientia
fuit: per illam iſti bifrontes ſunt, non proſpe-
ctant tantùm,

---- μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον,

vt canit Dircæus vates, ſed & præterita reſpe-
ctant; à tergo magis quàm à fronte vident,
* quòd prudentis eſſe ducis dicebat Sertorius,
qui ne ipſe quidem tã à dextrâ, quàm à læuâ
vide-

videbat. Sed illi quàm rari, quum etiam monoculi fuerint, qui & bifrontes laudarunt, & ipsi haberi voluerũt? Vnus Ianus bifrons fuit, coclites autẽ? an vnus & alter hodiè, vt olim, Romæ? Pasquine pro tuo iure fidenter responde ac recense; quod tibi, mihi certè non licet. Audit me, & in famosâ suâ tabellâ depingit plures talares vestes multiformiter indutos, qui summisso genu læuo, & exculpto dextro lumine, auream redemptionis nostræ iconem sinistro intuentur. Adscribit & hoc distichum;

Nemo videt dextro sacra lumine, mille sinistro:
Dic mihi quod, si non coclitis hoc, vitium est.

In mari thynni quum dextro sint oculo perspicaces, sinistro contrà debiles, nunquam dextra non legunt littora. Vere etiam sub aquis fœtificum ignem squamis subiiciente, ex Athlantico æquore in mediterraneum, quà Abila est, agminatim irrumpunt. Alia deinde tempestate exituri, ad Calpen, quæ ipsis tunc, vt ingredientibus Abila, dextera est, deflectuut: quod & alibi faciunt. Quam præter decorum est nauiculatores piscatorésue à piscibus doceri? quàm præter ius Aeinautas dextro cassos oculo in sacrâ magni Piscatoris cymbâ sedere, sinistra dictare consilia, sinistra appetere,

petere, nauigium læuorsúmque subducere? Quid iam miramur ad sinistras, nobiscum illos, Charybdes admoueri? Sinistra agentibus sinistra impendent.

Iam quid de cæcis? vnis Parisiis quot? treçenti.erras, non omnes cæci aut baculo templa prætentant, aut indigere se duce sciunt fatentúrve. Caudæ cæcæ oculata sæpe capita antecedũt; &, quæ nostra cæcitas est, vel oculatissimas credimus. Armuzianos cæcis rectoribus obsequutos scimus, & multos hodiè sequi cæcos, & olim sequutos non nescimus. vt plurimi præsunt æquo sine iustitiæ oculo, ita sine prudentiæ claro, plurimi præeunt.

Vos, ô patricius sanguis, quos viuere fas est
Occipiti cæco.

tantúmne?

In satyrâ, Persi cæcis cur parcis vtrinque?
Quin addis cæcum sinciput occipiti?

Nam quum scrobiculos post tergum se videre iactent, minus etiam quàm Thales, fossas ante pedes vident. Hinc videas, quisquis es qui me audis, nisi si cæcus es, cæcorum numerum esse numerosissimum. Habere vis? numera Stampensem arenam, & dinumeraueris. Hyperbolen putas? Sinas audi, qui ternos dũtaxat oculos in orbe esse statutum cum animo habent,

habent,quorum ipsis bini sint, Francis tertius. Omnibus?

-----*paucis quos æquus amauit*
Iuppiter.

Nunc bifrontes nosse expetis? vbi terrarũ lateant ignoro, & faciliùs tibi dixero, quam habeant insulam Æolocentauri. Stulta nihilominus opinio de humanâ prudentiâ esse tibi persuadet,& ad quærendos hortatur. Quære igitur quisquis es,qui hominũ vilitati tuâ stultitiâ prætium facis,quęre,per me licet;sed difficili disquisitioni sociũ habe curiosum. Ades Cynice, & accende lucernam clarâ & multâ flammâ, quæ vel Philadelphicam Pharon deceat;& angulatim quære in regiâ vrbe, immò orbe toto quãtus quãtus est, & quot fortè bifrontes inuenies, tot numerent boues Siculus & Priuernas, quos sub consule verrucoso loquutos memorant.

Quum igitur vsque eo cæcutiant homines, vt Andabatarum more,miseræ priùs vitæ sentiant insultus,quàm videant, per aurium posticum intromittamus, quæ fenestræ non admittunt.

X.

Piramis emblematum varietate mystica,

Postibus intrarunt; patruo sunt cingula, patri
Taurea; & iste boans, Pereat malè flagrio sectus
Verberibus, clamat, curata cucurbita qualis
Cæcilio: Scelus; ille iterat, scelus omnia dorso
Damna ferat, quæ ferre queat Spartanus ad aras.
Cæditur hinc illinc proprio iam sanguine litet
Mercurio. Quid plura? puer dum mæret acerbo
Plagarum strepitu, geminatur, gaudet acerbo
Plagarum strepitu, *patruo cum patre notatis.*
Crastina ad Antipodes lux protelauerat umbras,
Quum stabulis quà rana dedit sua nomina, solus
Tenderem ad Regina tuos Valesia xystos;
Perditus ecce nepos scuticarum victima, talos
Ad læuam quatiebat inops thoracis & assis.
De petaso certamen erat. Quos criminis anthrax
Vertit in Aethiopas, quanta est abstergere molis,
Et dare Gallorum lac à virtute receptum!
Quis dicat Nymphas assueto pollice molli
Serum operi fusco candorem inducere Mauro?
Herculeis opus est manibus, balineique fricatu,
Et fortè incassum. Vitium obfirmatius hæret.
Extima non illo cutis est piceata, sed ima
Viscera sunt. Opus est firmo conamine firmis.
Tantum hodiè scelus à teneris occalluit annis,
Vis ut nulla patris, patrui vis nulla, magistri
Nullaque vis valeat minimas exscindere fibras.
Intima nam longâ radice ad Tænara tendit.

Ergo

Ergo fœmineâ quid me vis ſcribere dextrâ,
Et neruos laxare meos malè ſane? labellis
Inijce epiſtomium, rudere in ver diſſer, aſellis
Enormen quando vocem catulitio promet.

Iam quando repreſſus ſonus ignorantiæ abſonus, attende Lector, & intende aciem, ſed mentis in primis. parum tibi ſit verba legere, quorum etiam ſyllabas elemētarius puer coagmentet: intus lege & intellege.

VII.

ANTE fui quàm fuerim (mihi iam nunc fidem abnuis? crede quaſi iurato) antè, inquam, quam fuerim, fui in labyrintho tenebris vltra Cimmerias inhorrente, vbi Lyncei, & nomine Strabones tam cæcutierunt, quàm lippi, quàm reapſe ſtrabones: immò quàm cæciſſimi quiq; de tribus cæcorum Pariſienſium centuriis. In eius meditullio conſiſtebat monſtrum nomine Chaos, Gnoſio longè monſtroſius, vt pote quod aluus ceti iugeri capax, forcipes polypi denticulati, collum cameli multipedale, Meleagrææ feræ dentes exerti, hiatus latè patens crocodili, ſtellæ denique marinæ confuſa mēbrorum permiſtio deformarent. Tantum porrò abeſt, vt exitialium more peſtium ad quas

mundus olim expalluit, fulmineum minotau-
* ricidæ gladium, falcatam Gorgonoctonis har-
* pem, æratam Scytalosagittipelligeri clauam
præformidarit, vt omnes etiam monstrorum
domitores imo suæ voraginis fundo, velut in
septo Dædaleis flexionibus inuio, in circun-
fluis Athlantici maris insulis, & subterraneo
Caci specu, obscuræ vinculo seruitutis multũ
diúque attinuerit; nec abire siuerit, nisi de Io-
uis vnius imperio. Nam extra eum nullus est
superûm, suæ qui potestatis fasces eò inferat.
Quoties autem quempiam ex teterrimo illo
ergastulo emittere vult, non alium habet ad-
ministrum, quàm Cyprium numen. Et verò
Venus Ariagna est, quæ ab hinc annos plus mi
nus triginta, secundo die quàm cælestis leo
propiore sole incalescens, æstuoso rugitu ter-
ras & terreret & torreret; quo tempore can-
dicans Aquila, quæ à Septentrione auitis &
regiis insessum liliis aduolarat, Galliam no-
stram non ex omnium moderabatur arbitriis;
per amfractus longè obscurissimos sordidissi-
* mósque, integram noctem Ogygiam actũ me,
per breuem demùm posticulam in locum vi-
tali luce gratissimum perduxit. Dicas egres-
sum esse, per quem Encolpius Gnythona ex-
trahit apud Arbitrum: aut fœtenti aquædu-
ctu,

ctu, & iugi aquæ, non quidem fontanæ, sed marinæ defluuio madidam Capenam, non tamē triumphalem. Nemo enim per illas angustias victor permeat, sed victi omnes: nemo ïo ïo, sed Oebalij floris querelas omnes omninò clamant Quis Rex tam regius, qui regiè vitæ limen inierit? Regibus veniētibus Triumphalis porta præcluditur, vt & pauperculis: at discedentibus illis iuxta ac istis, sola Libitinensis patet. *Eadem omnibus principia, eadémque origo*, ait Seneca; cuius bonâ cum veniâ exiguū velut obolum de meo lubens adiecerim eius aceruo, non tam pecuniæ, quam quidem effusus paupertatis laudator amplissimam possedit, quàm sapientiæ, cuius ditior multo fuit: idem finis, idémq; terminus omnibus est: omnibus à sterquilinio ad sterquilinium iter est. *

Omnes eodem venimus ex loco:
Omnes eundem cogimur ad locum.

Sabæi odoratā segete quamlibet locupletes in fimetum Reges abiiciunt, quos à fimeto abductos, ad fimetum natura iamdudum designarat. *

VIII.

Vos tamen ô sordes, & recrementa leuantūs

Ilia Naturæ,conquiritis vndique moſcum,
Panchæas ſegetes,& ballenatium aroma,
Et pondus ratium,& reſlui eiectamina ponti.
Quin ipſi vomicas caprarum emungitis,vt qui
Putor inhæreſcit membris reprimatur odore.
Scilicet æternos ſicco de puluere plebes
Cenſebit vos eſſe Deos,& nectare poto
Efflare ætherei immortalia munera ſucci,
Partitúmque Iouem vobis ſua fulmina. Fœtor
Nunquam non mortalis erit mortalibus,vnde
Exierint,& quò tendant diſcetur odore.
Humanum ſapimus,ſapiunt cæleſtia Diui.
Cælituum eſt odor ambroſius, graueolentia terræ
Eſt hominum. Semper redolent ſua flumina piſces:
Hi fatuas ſtagni,ſalſas illi æquoris vndas.
De gente hircoſâ:ſis,aut non Centurio ſis,
Diceris:cunctos ſpurcauit Cypris in aluo.
Summatum haud ſatis eſt aſſentatoribus, albis
Et pullis Veneris,puluillos atque locellos
Infarcire opibus beneolentibus,vnguine crines
Perfundunt, Syrij quod mittit littus Orontis,
Et centum libris foliati:naribus aptant
Olfactoriolum peregrino munere diues.
Putidulam mulcent fragranti pectine barbam,
Peniculóque putris perſperſo fæce Zibetti,
Sed ſub odore latent vitioſa putredine membra.
Quàm latè fallax hominum ſimulatio regnat!

Pariſiis

Parisiis molli mihi forte lanugine malas
Nudabat tonsor, demittebátque capillos
Vertice forficulis. Alabastráne nardina Cosmus
Infregit solido? quis odor se naribus, inquam,
Abdit? ô ambrosiam! ó opobalsama, bdellia, costum!
Hícne theatralis fit sparsio? perpluit imber
An crocinus caueam? Syllanáne funera flagrant?
Ver Arabum, Ciliciúmque decus, decus atque Sabæum
Hícne rogo tristi, & lachrymoso funere rident?
Quis nouus huc Deus aduētat? Venus hícne triūphat?
Hácne aditura suum decurrit Adonida? num quis
Antiochus stolido duo quadrantalia nardi
Inflixit capiti? Dicenti talia tecti
Clarescit stridor currus. odor Indus odora
Incrementa capit propior quo rheda. Quid? inquam.
Plura loquuturi sternutamenta retrudunt
Verba parata sequi. Vitreis iam clara fenestris
Proximat. Ecquis te dignâ laude efferat? ecquis
Te spectando oculos satiet? Danaeia cedat
Forma tuæ, fuluum potuit tantùm illa metallum
Attrahere; at Serum trahis ad te vellera, diues
Qui dein Sequanicas qui riuulus influit vndas
Infectu meliore beet: tibi rubra monile
India Erythræo lectis in gurgite baccis
Nobile, & Eridanus Clymeneia germina, Maurus
Vegrandis de dente feræ candens ebur, omnem
Aequoream Proteus tibi gazam sufficit. Hermes

Dixerit

Dixerit hic quicquid minus est. Halatibus ictus
Fœminæ, & eois, dicebam talia, donis.
Arte Machaonia, & sanando vulnere præstans
Tum mihi; Quid fallax te, credule, ludit imago?
Externis adhibere fidem non pectoris acris,
Sed fatui est. ne crede oculo longinqua stupenti,
Nec naso inconsulte tuo. Quid pulchrius hydræ
Pelle colorata, graueolentius & quid odore
Est aconi? nocet illa tamen, iuuat iste. Quid ergo
Sensibus accredis? quæ fœmina transiit ædes
Tam mihi nota, suo quam fœmina nota marito:
Plagosa est passim, passim cauteria putres
Stigmate liuenti deformauere lacertos:
Abscessu coxæ turgent, latus vlcera sulcant.
Curandi mea cura, meo tentata specillo
Vulnera, testantur fari me voce fideli.
Obturata velim toties spiracula nasi,
Pyxidulis, ô Cosme, tuis, aut pollice, quando
Malobatro intristi redolentia cinnama mixtim;
Liuenti quoties iuuat exsaniare cruorem
Buboni impactum. Non sic ieiunia fœtent
Verparum: non sic Montis Falconis ab altis
Arboribus, quæ iustitiæ monimenta seueræ
Dependere vides: non sic laniona putet
Pone Nauarræum musæum semita, postquam
Buplegi simuli iugulauerunt hecatomben
Tot coruis, tot vulturiis implumibus. Afri

Attritæ

Attritæ nares, nares quas Polypus vncis
Implicat inuictis, quales, Pasqueta, tuæ sunt,
Fœmineam haudquaquã possint tolerare Mephitim.

IX.

Eduxerat me Diua
---- per quam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis: *
& longè latéque patentis insulæ vndique Oceano incinctæ, ampla spatia dederat peragranda. Non enim nascimur quieti, vt ostrea, sed motui, Hamaxobiorum in morem nullibi * terrarum certam sedem posituri. Dum hîc sumus, peregrè sumus: & ingressus vitæ, viæ ingressus ad mortem est. At nascentium tenellos pedes, tenellam tibiam, laxata, & quasi luxata poplitum internodia, quum non ita properè solidet Statanus, non currunt, non * eunt; stant, immò vincti iacẽt infantes. Vt qui in concitatissimis nauibus feruntur, immoti mouentur, & iacentes humanum cursum currunt, & nos grandiores cum illis. Ille aut sus hominum, aut suum homo Clearchus, in dif- * fluente saginâ, etiam per vitam sepultus, non lentiore, quin gradu potius citatiore, quàm Philonides, transcurrebat annos. Nullus in * hoc

hócce ſtadio tardipes, nullus ſpectator; omnes
* curſores ſumus, omnes Hemerodromi. tãtùm.
* ne? immò etiã Nyctidromi. Neque enim quaſi
tantùm curramus interdiu, nomẽ in nos illud
cõpetit, cõpetit & iſtud quòd etiã noctu. Siue
aureo curru ſolẽ celeriter agi, ſiue argenteo
Lunam videmus, agi nos eâdem celeritate
ſciamus. Sine morâ curſum vitæ currimus,
etiam de nocte dum quieſcimus. viuere enim,
peregrinari eſt, & vita via. Infantem ex matre
vides exire? ire ſcias. quò? quo nos qui iamdudum
exiuimus, iamdudum abimus. At quò
tandem? Pyramis eſt in ipſo vitæ propylæo,
quæ doceat. Vidiſtis, ô mortales, illam? non
credo. nam præterquam quòd illic immorandi,
* facultatem nemini facit falcifer ille Deus,
ex opaco ſinu in vitalem lucem prodeuntium,
lumina inſueta lumini caligant. Non vident
homines, atque adeo neſciunt, quæ ſit illa vitæ
pyramis, niſi quibus obſtetrix ſapientia
fuit: per illam iſti bifrontes ſunt, non proſpectant
tantùm,

---- *μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον*,

vt canit Dircæus vates, ſed & præterita reſpectant;
à tergo magis quàm à fronte vident,
* quòd prudentis eſſe ducis dicebat Sertorius,
qui ne ipſe quidem tã à dextrâ, quàm à læuâ
vide-

videbat. Sed illi quàm rari, quum etiam monoculi fuerint, qui & bifrontes laudarunt, & ipsi haberi voluerũt? Vnus Ianus bifrons fuit, coclites autẽ? an vnus & alter hodiè, vt olim, Romæ? Pasquine pro tuo iure fidenter responde ac recense; quod tibi, mihi certè non licet. Audit me, & in famosâ suâ tabellâ depingit plures talares vestes multiformiter indutos, qui summisso genu læuo, & exculpto dextro lumine, auream redemptionis nostræ iconem sinistro intuentur. Adscribit & hoc distichum;

Nemo videt dextro sacra lumine, mille sinistro:
Dic mihi quod, si non coclitis hoc, vitium est.

In mari thynni quum dextro sint oculo * perspicaces, sinistro contrà debiles, nunquam dextra non legunt littora. Vere etiam sub aquis fœtificum ignem squamis subiiciente, ex Athlantico æquore in mediterraneum, quà Abila est, agminatim irrumpunt. Alia deinde * tempestate exituri, ad Calpen, quæ ipsis tunc, vt ingredientibus Abila, dextera est, deflectunt: quod & alibi faciunt. Quam præter decorum est nauiculatores piscatoresue à piscibus doceri? quàm præter ius Aeinautas dex * tro cassos oculo in sacrâ magni Piscatoris cymbâ sedere, sinistra dictare consilia, sinistra appetere,

habent,quorum ipsis bini sint, Francis tertius. Omnibus?

----- paucis quos æquus amauit
Iuppiter.

Nunc bifrontes nosse expetis? vbi terrarũ lateant ignoro, & faciliùs tibi dixero, quam habeant insulam Æolocentauri. Stulta nihilominus opinio de humanâ prudentiâ esse tibi persuadet,& ad quærendos hortatur. Quære igitur quisquis es,qui hominũ vilitati tuâ stultitiâ prætium facis,quęre,per me licet;sed difficili disquisitioni sociũ habe curiosum. Ades Cynice, & accende lucernam clarâ & multâ flammâ, quæ vel Philadelphicam Pharon deceat;& angulatim quære in regiâ vrbe, immò orbe toto quãtus quãtus est, & quot fortè bifrontes inuenies, tot numerent boues Siculus & Priuernas, quos sub consule verrucoso loquutos memorant.

Quum igitur vsque eo cæcutiant homines, vt Andabatarum more, miseræ priùs vitæ sentiant insultus,quàm videant, per aurium posticum intromittamus, quæ fenestræ non admittunt.

X.

Piramis emblematum varietate mystica,

ſuadeat, ſi pictura permiſerit.

Cæterùm ſuprà legitur : DVM CRESCIT, VITA DECRESCIT : & QVANTVM VITÆ ADDITVR, DE EADEM TANTVNDEM DEMITVR. Et infrà:

Virgo flore potens, annorum & robore, longùm
Luceat vt lychnus, ſufficit inde oleum.
Subtrahit hinc illud Vetula exſucca oſſea, lippa,
Gibboſa & ſenio, lychnus vt intereat.
Hinc vita, illinc mors: rapit iſta, quod illa repo nit:
Principium vitæ, principium necis eſt.

XI.

In alterâ pyramidis facie, ab alto Lucetius * animam per calamum in aquam ſapone ſpumantem leuiter intinctum (ludunt ergo ſuperi? ludunt enimuerò, & nos ludentium ludus,

-- *Di nos quaſi pilas homines habent*)

inſpirans, expectantibus quaternis infrà colluſoribus, iuuenibus duobus, totidémque ſenibus, ſingulis ſuo colore diſtinctis, bullam demittit, quam grandi exceptam orbe, adducto certatim ſpiritu quamlibet in partem iactant.

Omnia ventorum concurrere prælia dicas.

Quia verò ſuum cuique ludentium, non po-

tuit ars adpingere proprium, alibi ipsos illos videas, alterum alteri ex opposito aduersantem, quorum qui cretatus est, amico Ioue benignè irradiatur, & candidâ dentium euphrosynum prementium nudatâ serie, fossulis etiã in hilari genarum crepidine hinc inde factis, tam blandum ridet, turbido vt cœlo pacem reddere, & terris placidi Dei Risus, gaudiales
* indicere dies videatur.

Atratus Saturno mœstè sideratur, & amaram esitat sinapin, fronte tam rugosâ, vultu tã nubilo, oculis tam lachrymosè deliquentibus, vt cœlum quâ ille parte est obscuret, ipsisque nubibus suas etiam lachrymas exprimat.

Tertius amictu vernantibus arboribus cõ-
* color, & in morem Heliopes empedocleæ, in cœlum aciem intendens, cornice, vt olim cor-
* uo Valerius, inumbratur, sed eâ non fuscâ, verùm quæ alarum niue ante illam quæ Cœlio
* visa, candida sit.

Qui superest pallido vultu, mustelinâ ve-
* ste, digitis ad pectus pectinatim iunctis, elatis & ceruices minuentibus humeris; parùm sibi constantibus oculis tremorem queat imponere; quumq; videas Argolico illum clypeo pileatum, loris mento firmiter subnexis, haud
* ita longè ab Artemone diuersum, timere credas,

das, ne collabentis cœli ruinis opprimatur.
Inſcriptio eſt ΠΟΜΦΟΛΥΞ Ο ΑΝΘΡΩΠΟΣ:
& ſubſcribitur:

Sapone, atque vndâ, conflatáque flamine bulla,
Pellitur oppoſitis circumagitata flabris.
Bulla homo, materiâ vt primũ eſt non diſpare cretus,
Oppoſiti affectus turbine circumagitur.
Ancipiti illius contraria prælia menti
Gaudia, Triſtitiæ, Spéſque, Timórque mouent.

Duo ſunt, iſtis non longè, ſagittarij, nullâ ſimilitudine concordes. Alter enim puer eſt, roſcidâ pinnarum ſerie ventulum tantùm nõ pictum niueis humeris faciente volucer, aureâ cæſarie ambroſiæ veluti guttis ſaturâ decorus; natiuum & roſæ puræ, & quã inſidioſa Cupidinis mater cruore ſuo tinxit, mixtum pulchrâ facie ſplendorem referens, blandis oculorum nictibus amabilem riſum comitantibus Amorem ſpirans, omnes Charitum honores extinguit.

Alter verò procerior membris hiſpidis, pilis capitis, oculorúmque ſubrectis, truculento vultu, ore flammeo, toruis luminibus Odium ingerit. Credas de Anthropophagis vnũ, qui arcu minaci ac trabali telo, cuius ferream nigro ſucco cuſpidem tingens, certum hominis exitium obnunciet. Puſio contrà puſillam ſa-

gittam, eámque auream breui aptans arcui, nihil ampullâ durius transfixurus videtur. Horum vterque duobus térve comitibus aucti, quasi suum quatuor-viris ludum inuideant, accedunt.

XII.

Videtur altrinsecus aggestæ terræ tumulus, cuius ex humente cuniculo verbasco, melanthióque, ac pilosellâ, & id genus pilosis & lanuginosis herbis marginato; labro insuper, capillóque Veneris, præterea dictamno, gnaphalióque, etiam non fessos ad genialem suã mollitie cubitum, magis quàm culcita illis infarta, inuitantibus; super quæ etiam in orbiculum inflectatur vmbilicus Veneris, emicantem leporem (homo lepori? enim comparatur. quid enim est quamobrem de maximè meticulosâ quadrupede non dicatur, quod Romanus Sapiens de volucribus dixit: *Quemadmodũ* lepores *etiam inanis funda sonus territat; ita nos, non ad ictum tantùm exagitamur, sed & ad crepitũ*) venatici canes agminatim adoriuntur, cingũt, multísque numero morsibus incessunt. Clamosa venatorum incitamenta, & sæuientium canum latratus tantùm desideres. Emblematis

tis erat hæc anima: NASCENTES DAMNA VENANTVR. & demissiore loco:

Vt lepus ex latebris se profert, ilicet instat
Et morsu & cursu præpete multa canis.
Hic Thous, hîc Canace est: ruit hinc Dromas, Asbolus illinc:
Ille aures stringit dentibus, iste pedes.
Vt primum ex tenebris in dias luminis auras
Prodit homo, innumeris cingitur ille malis.
Hàc capiti cephalæa venit, ventri ileus illac;
Hinc glaucoma oculis, inde podagra pedi.

In subiectâ pyramidis spirâ, alia sunt quæ in hominis imbecillitatem cadunt. In aliquo de lateribus eius, infans crepundiis terram verrentibus, incessum manibus pedibúsque molitur, dum extantibus eum articulis, vertebrísque carne exutis, formidolosæ duæ Mortes vtrinque stipant, quibus incuriosum oculum non aduertens, non gemit, qui solet de nihilo lachrymari. Inscriptum hîc est: MORS TAM IVVENI ANTE OCVLOS DEBET ESSE QVAM SENI, NON ENIM CITAMVR EX CENSV; IMMO MAGIS, QVOD IBI PLVS PERICVLI, VBI INCONSIDERANTIÆ PLVS EST. In altero verò laterè, IN VITÆ ME-

DIO QVI SE SCIT ESSE, A VITÆ TERMINO NON ABESSE SE SCIAT. Hîc homo, quem virilis decor floridis genis adpictus, constante esse ætate denotat, stat gradu ad arrogantiam fixo, qui dum suis ipse viribus imprudenter confisus lacertos ponderat, Mortem non videt ponè spiculum intentantem.

In tertio, depontanum senem in scipionem pronum cernas, quem timore Mortis coràm stantis, in horrificam proceritatem cadauerosis ossibus extensæ, à quâ se vocatum propemodũ audit, metu tremere dixeris, si tabella quatiatur. Pictum & hoc endecasyllabum, EXPECTATA VENIS, SED HAVD VOCATA.

Alia ad trium laterum stricturam communis currit inscriptio: MORS SPHINX EST, QVAM NEMO OMNIVM SOLVIT, IPSA QVVM DISSOLVAT OMNES: QVATERNIS AD EAM PEDIBVS EVNT PVERI, TERNIS SENES, VIRI BINIS, NVLLVS VNO. Ite iam, ite mortales, quos fluxarum rerum puluis excæcauit, & vos immortalitatis iure donatos credite. Cum insano Menecrate Ioues dicimini,

mini; cum insolente Alexandro, Iouis filij; *
cum degenere Commodo, Hercules; & Bac- *
chi, cum vinoso Antonio. Ego vero vos mor- *
tales esse, & miseram mortis sobolem dicam; ad mortem vos ire contendam, & ad vos illam. Ecce adproperat, fores pulsat, ceruicali adsidet, à latere, à tergo, antè est, intus est, nec aduertitis siue pueri, siue viri, siue senes, Nimirum seducunt vos puerilia in ætate puerili, in virili virilia, caduca in caducâ; dum ludis, voluptatibúsque ac diuitiis animum intenditis, intensum Mortis arcum non attenditis. Vt qui mortem respicit, mortalia despicit: ita mortem non audet, qui gaudet spectare mortalia.

Ante basim faciei inter cæteras spectabilis, herba veneno infamis (napellum vocant) flore suo sepulchralis caluariæ deformitatem re- *
fert, cum hoc verbo: IN IVVENTVTIS FLORE SÆPE MORS APPARET, & insuper isto, TVM MAXIME SE MORTALEM MORTALIS PRODIT, QVVM MINVS SE MORTALEM FACIT, CREDITVE. Et inter scapum spirámque sub isto; IN VITA MORTEM SPECVLARE, mirando speculum artificio visitur, cujus ad

ſpecimem tempeſtate noſtrâ ſuum fortaſſe fecit Hiſpanus: ſubiicit enim oculo naſcentem pariter hominem, & morientem: hîc in obſtetricis manibus, hîc eſt in pollinctoris. quaſi hinc doceamur vitam & mortem contubernales, alterámque alterius imaginem eſſe. Speculum aſſiduâ dignum inſpectione! Conſtat fuiſſe fœminam ſupra bonum & honeſtum formæ ſuæ cultricem, triſtitiâ emortuam, dum ſuam ipſius in ſpeculo faciem, ſexcentis per morbum exanthematis horrentem videt.

Atque ita non mendax momento vitreus orbis,
Exhibuit viuam, mortuam & exhibuit.

Quid ita non? nónne momento viuimus, morimur & momento? dicenti non creditis, vos ô iuuenes, qui adoleſcentiæ ſuadente fallaciâ longam vobiſipſi mentimini vitam? ephebo credite moribundo, quem cum ipſis illis verbis animam expirantem vidi. Sub illo demùm ſpeculo legitur:

Naſcentes cunis ferali naſcimur vrnæ,
Prima dies nobis exequialis & eſt.

Agite porrò vos quicunque, ſi qui tamen eſtis, vt Argonauta ille, ἀκριβεῖς ὄμμασι, deſcriptæ arcana pyramidis introſpicitis, poteſtis his refragari? non poteſtis, aut mundo, hoc eſt,

ærum-

ærumnarum theatro vos esse natos etiam nunc haud scitis. At scitis, & quidem sensistis miserandæ priùs creaturæ personam vobis impositam, quàm præuideritis imponendam. Ego quidem me prius peccato natum,& affectis peccati,hoc est, miserrimis miseriis,quàm lumini; nigrâ reatus illuuie sordidum, quàm innocentiæ nitore candidum noui. Hoc ipsum iam de me fatebor, ærumnosámque meã sortem, & in eâ vestram, ô quotquot sub sole in solo degitis calamitosos dies, describam. Adeste ergo attentè,& quæcunque hîc,auidis auribus bibite, immò exedite,quæ vt mihi,ita vobis intriui.

XIII.

Mentiuntur Poëtæ omnes (quidni mentiantur fabularum omnium architecti, quum nihil quàm mendacium negotientur?) qui specie bellissimâ venerem esse volunt. Fœda, spurca, & ad vnam deformitatem insignis est. Fidenter dico, neque spatolocinædi, & * iuuenes illi Venerei, quibus illa pro omni numine, me terrent. Nam quid ego timeam enerues & euiratos, quos imbelli cum sexu libido coniunxit? Fœda, itero illorum gratiâ, fœda

fœda, ſpurca, & deformis venus eſt, immò fœditatis & ſpurcitiei parens. Pernegatis? Agite, ſi tantâ fuiſſet formâ, quantâ vos, qui veſtræ libidinis fœditatem, fictitiâ eius formoſitate ſuperueſtire vultis, quomodo inuiolata Iouis æquitas, quæ ſimilem cum ſimili nunquam
* non ſociat, vt apud Odyſſææ conditorem, recte quidem, & ſupra quàm ferat fortuna caprarij, dicit Melanthius, deformi eam vulcano nuptum dediſſet? Quis enim inter plantas Thetidis etiam argenteis elegantiores, cum pedibus diſtortiſſimis conſenſus ſit? quis inter oculos callido amore acutiſſimos, cum aſſiduo ferri candentis vſu hebetibus? inter niueos
* Galathææ, digitos; cum ferrugineis, & manibus penè dixerim tartareis? inter frontem Lunenſi marmore candidiorem, & ferreo colore Baſaltes tetriorem? inter auro rutilam
* Amathiæ cæſariem, cum pilis non vnâ nigris fuligine? inter genas roſarum & liliorum cognatione blandulas, cum aduſtis ciniflonis?

* *Iungantur iam gryphes equis,*

ſi tam diſcrepantia coniuncta ſunt.

Etiam inſtatis, Venerem & vulcanum diuino vinculo copulatos? aut igitur æternum iuſtitiæ parentem iniquum eſſe, aut non vſque eò

eò Venerem à deformitate Vulcani diſſediſſe dicendum. Illud omnes refugiunt, hoc ſoli impuri, quò in impuritate puros ſe dicant. Quin ergo venerem deformem dicimus? Deformis eſt, fœda eſt, & ita deformis, vt animum etiam deformet, ita fœda, vt nemo non fœdus ei ſupplicet. Cuicunque illa placet, placet corporis turpitudo, & animi diſplicet pulchritudo. At cum Poëtis omnis reclamat antiquitas, formã Aphrodites paſſim ingerens? Vt æuum noſtrum ſuam habet ſpumam, ita fæcem ſuam antiquum; multa vtrumque propinat, quæ guſtare ſatius, quàm ebibere. Plura cum grauitate probarunt antiqui, quæ non ſine cachinno improbent noſtræ tempeſtatis idiotæ: multo etiam plura nos dicimus, quæ illi riſiſſent. Sed hîc antiquitas culpâ vocat, quum enim formoſam venerem nominauit, nõ natiuâ eam voluit, ſed fucatâ tãtũ pulchritudine præſtare, quæ quidem pereat, quoties in coniugis complexum, atrâ ſemper fauillâ obſiti, implicetur.

A ſordido ſordidi congreſſu, ſemper aliquos, aliàs nunquam, ex teterrimâ Hili tyrannide, & cæcis illius labyrinthi flexibus educit: * quumque id temporis obliterato fuco maritali fuligine coinquinata ſit Venus, hinc eſt

quam-

quamobrem nemo vnquam in medium Naturæ regnum exeat, niſi atratus, contagio ſcilicet ſpurcæ ianitricis, atque adeo omnium genitricis. Nihilo cæteris puriorem emiſſum me L. Auguſtus vir ponēdis ſiue in alueolo, ſi-
* ue in trapezâ calculis natus: ludo Magiolinus, obeundis publicis rebus, æréque numerando
* ſiue Veturius ſiue Minucius; ludicris ſimul &
* ſeriis, Porcius Latro, menſe ſibi cognomine ad fontem ſalſum tulit miræ quidem virtutis. Nam in eo repentinâ metamorphoſi, pix mea pluſquam Illyrica, in niuem ceſſit Gallicâ can-
* didiorem. Dicas lanam ab œſypo fontanâ, ra-
* diculáque repurgatam, immò enim nigellam
* ouem Cephiſo immerſam enitere, & iuuen-
* culum infernatibus votum, iam Clitumni occultâ vi, Diis eſſe ſupernatibus immolandum.

XIV.

Secundun ſalutiferam lauationem, altor Trophimus, & infantaria Thelaſtria, me ducturi Neapolin erant; ſed repentinus peſtilentiæ turbo nos in ſyluas ac montes impulit, vbi diutius extra tabidos luis afflatus conſidentes, tantum ſolitudo non mutauit in Satyros.

Gallia diſtracto flagrabat dogmate, natus

A patre,

A patre, à nato pater, atque à coniuge coniunx
Deficiebat: & in Regem plebs turbida dextras
Ensibus, & læuas clypeis armabat. Auitæ
Relligio exul erat sedis; velamine scisso
In partes plus mille suo, montémque nemúsque
Quæstibus implebat. Nullâ non vrbe triumphans
Omne scelus sacras sibi deposcebat acerras,
Et thensas, medióque foro, mediisque sacellis.
Virtutem coluisse nefas, coluisse piaclum
Laus erat. Aeneæ pietas despecta fuisset,
Triptolemi mens casta, Numæ sanctissima, iusti
Integra Minois; Nero, Messallina, Paríque
Prælati primis meruissent sidus & aram.
Ciuica mactanti ciuem, felíque puellæ
Myrtea, muralis perfossorique corona
Texta erat. ad vitij manus ingeniosa triumphos,
Ad virtutis erat periuri vt saxea Batti.
Germanos iugulare, parentem prodere, mystas
Perdere, Patrocli, sacra subdure cymbia, sellæ,
A tellæ ludus. Non peruia claustra puellæ
(Musa rubet tam grande scelus transmittere castis)
Quinquennis sæuâ reserauit forfice sartor
Cypride correptus, fossæ immixítque cruentæ:
Sic impar vitulo taurum tulit integra virgo,
Aerato taurum tauro, flammísque Perilli,
Et Minotauro, sancto sub iudice, dignum.
Humanâ quem farta fugit farcimina pulpâ

Vendita?

Vendita? lætiferis quem lurida pocula ſuccis
Infeciſſe dapes Saliares? Theſſala philtra,
Et Zoroaſtræas artes quis neſcit amorem
Ingeneraſſe animo, & fatum renouaſſe Lucreti?
Indignante oculo Phœbæo deſuper orbe
Deſpectans Nemeſis ſcelerum tot monſtra, furore
Concita, Quando placent, dixit, tibi Gallia, monſtra,
Monſtra dabo. Terras monſtrorum ecce ecce feraces
Aduolo, & Aethiopas, quibus hæc ampulla timori,
Luſtro, mortiferos illinc miſſura tepores.
Fertilis in morbos Libye, mortéſque, tuliſſe
Dicitur horrendum viſu, afflatúque timendum
Monſtrum homini, & pecori: Limum dixore Pelaſgi.
Cæruleis guttata notis, guttatáque rubris
Pellis erat, quaquà ſeſe inſinuantibus atris,
In ſpeciem cenchris; bullatáque ſæuiter inguen,
Frumen, & ala. Oculi duplices fluido orbe natantes
Defectam ſolis referebant lumine Phœben:
Ora, canis crebros vomitus; ſpiracula Ditis,
Spiritus; & ſudor victis malus artubus, hircum.
Lapſabunda trahens veſtigia ſerpere monſtrum
Dixeris: & verò diſperſim funera iactans
Serpit, in æquali ſerpente citatur agro.
At quia deiectæ vieto ſunt pectore vires,
Languet iners, niſi ſi vectoribus vtitur Auſtris.
Ergo Auſter pluuio capite, atque humentibus alis,
Fronte tenebroſâ, & tentato lumine ſomno,

Et

Et quibus ad Martem Missenus claßica buccis
Increpat, argutis tactus cruciatibus ægri,
Fusum tellure attollit, virésque recentes
Flatibus inspirans, humeris trans æquora vectat.
Exponítque nouo gaudentem in Celtica cælo
Littora, de Nemesis placito. Temerata volucrum
Turba, boúmque cadit primis afflatibus, exin
Turba hominum. Primò depascitur ilia, & arcem
Quâ se vita tegit, flammis vis morbida tentans,
Fortior incendit calidi munimina cordis.
Hinc facies Syllæ, fornacis anhelitus atque hinc,
Scabritie quoque lingua bouis, pellísque Gelonum.
Inde vbi perrupit vitalia claustra salutis,
Pestiferis & malleolis prætoria strinxit,
Pectore sub calido flammare Typhoidis ignes,
Vesuuíque putant moribundi incendia, partim
In fluuios, partim in puteos, fontésue, lacúsue
Corpora dant, patulisq́; trahunt flabra faucibus, vnde
Restinguant pestis flammas: frigescere nescit
Atra lues lymphâ, nescit mitescere vento.
Cauta malo interea sanos Medicina recessus
Quos immortales, per montis, Oreades, alta,
In morbos tueantur, adit: Sic omnis adempta
Spes miseris vitæ. Iacet hîc anus, hîc iacet infans;
Hinc puer, inde senex æterna silentia Lethes
Intrat; auos abauis, natos genitoribus addit
Mors annorum ignara. Gemit sub pondere Porthmei

Cymba animabus onusta, nigro contoque subacta
Vix ripam ripa mutat; tres stamine Parcæ
Rumpendo, tres versandis lassantur & vrnis
Disceptatores Ditis. Superaddita turba
Exanguis populi vitiorum turba, laborem
Ampliat arbitrij: testamentarius, erro,
Pædico, leno, meretrix, incestus, adulter,
Zonarum sector, quadruplator, catamitus.
De genere hoc reliquos ecquis percenseat? vrbes
Arma, duces, vexilla, rates, tentoria muris
Hectoreis inimica prius numerarit Homerus.
Prætori æratas vitiorum examina sedes
Circunstant, & collectis fremit vndique monstris
Curia; supplicium non, ingens sufficit vrna.
Tam varium claro videat nil Phœbus in orbe,
Tam varium nigro videat nil Luna sub orbe,
Quam vitium est. Vnum centenis crescit aristis.
Fertilis in crimen mens est, Babylonia plusquam
Triticeam in messem. De crimine crimina fiunt,
Integro quæ non numerentur Aristoclis anno

Id quũ temporis domos calamitosa pestilẽtia funestaret, ciuitates desolaret, solueret cõiugia, excinderet familias, quò impunè me ferret aqua non habebat. Ad matremne? heu: mortiferè laborabat: ad patrem? rebus procerum addictus, non erat sui iuris: in vrbem? violenta lue funerabatur: in pagum? milite diripie-

ripiebatur: in villam? hoc & illo malo afflictabatur. Itáne verò in vitam oportuit ingredi me, vt tot eâ repente mortes deturbare laborarent; & alicubi nasci, vt vbiuis denasci possem? de tenebris in lucem momento exire, omni vt tempore à luce ad tenebras per mille pericula reuocarer. Miseros homines, qui morti magis, quàm vitæ nascuntur! In tanto discrimine paternus me timor & amor, in pastoritiam casam editissimo montis iugo impositam, ablegauit. putares Delphici alitis esse * cunabula, aut Ithacam sapientis Homerici. * Dum illic lactens in cunis & vlnis Thelastriæ vagio, optima parens (malum) ex humanis abiit. Crudele fatum, quod mihi denique nouercam dedit!

XV.

Aliquot annorum stragibus expletâ Nemesi, salutaris Iatrice amicissimam Hygieiam * multis tandem victam precibus, in vrbes post- * liminio reducebat: & nos vnà iam semipaganos ab incultis montium salebris, ad cultas vrbium elegantias aduocabat, sed expectatum super itinere parentis imperium remorabatur, quum tabellas ad nos perfert homo etiam

tum ignotus, cui Musæo nomen erat. Congruenter quidem, erat enim absolutè doctus: grammaticos canones, poëticas fabulas, dialecticas argutias, arcana physica, & mathematicas apodixes in paucis callebat. Atque vt hæc, quemadmodum cætera quæ commemorare longum sit, paucis complectar, erat Musæus ex omnium ingenuarum artium ingenio collecta perfectio, & ex optimorum morum genio perfecta collectio. Adsectatus in exteram regionem principem virum, repentinâ domini morte, spe conceptâ, atque omnibus exciderat votis: &

---- multum ille & terris iactatus & Austro,

rerum omnium præterquam scientiæ inops, *σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον*, patrium solum repetebat, quum ad celebris nominis Heroinā in hoc diuertit, vt eius aureo munificētiæ imbre recreatus, sæuis fortunæ tēpestatibus reluctaretur. Ibi pater, vt de primis erat domesticis, hominem explorat, & ab aliis etiā exploratum, ad nos dimittit, vt tunc aliquam haberet curam mei, & aliquando maiorem literis informaret. Terrâ deficiente superba quæque ædificia concidunt: concidunt & magni quique spiritus terrenis opibus non suffulti. Paupertas maximos frangit animos, &

iubet

bus, quàm voce cum surdo obstrepentéque littore contendendum sciebat, facessit. Thelastria quemadmodum credula, ita & superstitiosa (infirmioris sexus vitia sunt) annulum ab illâ accipit, malusculâ palâ abnormen. Quumque diceret Trophimo, iam nonnullam vaniloquentiæ fidem habenti (sunt enim homines superstitione, aliísque muliebribus vitiis, aliis alij minus homines) vt ei numeraret, Abstine, inquit senium, cœlestia terrestribus non muto. Tum Thelastria; Quid? nósne à te paupercula, non leue donum gratis accipimus? Enimuerò gratis: si quid tamen liberaliter erogatur; dummodò ne sit in pretium rei gratuitæ, & pretium non habentis, non recuso. Et, accepto argenteo, ióque capitato numo digressa est. Annulo in pyxidiculam indito, pensóque mansionis pretio cumulatissimè, à Thelastriâ me abrumpit, & lachrymantem Trophimus in equum tollit; Musæus in alium insilit; ac petere Neapolim intendunt.

XVII.

Aberat vnius diei prædium consanguinei Omogenis, ad quod, vt iterum & tertiò inuitati, contulimus iter. Diffusam planiciem su-

ſpecimem tempeſtate noſtrâ ſuum fortaſſe fecit Hiſpanus: ſubiicit enim oculo naſcentem pariter hominem, & morientem: hîc in obſtetricis manibus, hîc eſt in pollinctoris. quaſi hinc doceamur vitam & mortem contubernales, alterámque alterius imaginem eſſe. Speculum aſſiduâ dignum inſpectione! Conſtat fuiſſe fœminam ſupra bonum & honeſtum formæ ſuæ cultricem, triſtitiâ emortuam, dum ſuam ipſius in ſpeculo faciem, ſexcentis per morbum exanthematis horrentem videt.

Atque ita non mendax momento vitreus orbis,
Exhibuit viuam, mortuam & exhibuit.

Quid ita non? nónne momento viuimus, morimur & momento? dicenti non creditis, vos ô iuuenes, qui adoleſcentiæ ſuadente fallaciâ longam vobiſipſi mentimini vitam? ephebo credite moribundo, quem cum ipſis illis verbis animam expirantem vidi. Sub illo demùm ſpeculo legitur:

Naſcentes cunis ferali naſcimur vrnæ,
Prima dies nobis exequialis & eſt.

Agite porrò vos quicunque, ſi qui tamen eſtis, vt Argonauta ille, ἀκριβέϊς ὄμμασι, deſcriptæ arcana pyramidis introſpicitis, poteſtis his refragari? non poteſtis, aut mundo, hoc eſt,

ærum-

ærumnarum theatro vos esse natos etiam nunc haud scitis. At scitis, & quidem sensistis miserandæ priùs creaturæ personam vobis impositam, quàm præuideritis imponendam. Ego quidem me prius peccato natum,& affeclis peccati,hoc est, miserrimis miseriis,quàm lumini; nigrâ reatus illuuie sordidum, quàm innocentiæ nitore candidum noui. Hoc ipsum iam de me fatebor, ærumnosámque meã sortem, & in eâ vestram, ô quotquot sub sole in solo degitis calamitosos dies, describam. Adeste ergo attentè,& quæcunque hîc,auidis auribus bibite, immò exedite,quæ vt mihi,ita vobis intriui.

XIII.

Mentiuntur Poëtæ omnes (quidni mentiantur fabularum omnium architecti, quum nihil quàm mendacium negotientur?) qui specie bellissimâ venerem esse volunt. Fœda, spurca, & ad vnam deformitatem insignis est. Fidenter dico, neque spatolocinædi, & * iuuenes illi Venerei, quibus illa pro omni numine, me terrent. Nam quid ego timeam enerues & euiratos, quos imbelli cum sexu libido coniunxit? Fœda, itero illorum gratiâ, fœda

fœda, ſpurca, & deformis venus eſt, immò fœditatis & ſpurcitiei parens. Pernegatis? Agite, ſi tantâ fuiſſet formâ, quantâ vos, qui veſtræ libidinis fœditatem, fictitiâ eius formoſitate ſuperueſtire vultis, quomodo inuiolata Iouis æquitas, quæ ſimilem cum ſimili nunquam
* non ſociat, vt apud Odyſſææ conditorem, recté quidem, & ſupra quàm ferat fortuna caprarij, dicit Melanthius, deformi eam vulcano nuptum dediſſet? Quis enim inter plantas Thetidis etiam argenteis elegantiores, cum pedibus diſtortiſſimis conſenſus ſit? quis inter oculos callido amore acutiſſimos, cum aſſiduo ferri candentis vſu hebetibus? inter niueos
* Galathææ, digitos; cum ferrugineis, & manibus penè dixerim tartareis? inter frontem Lunenſi marmore candidiorem, & ferreo colore Baſaltes tetriorem? inter auro rutilam,
* Amathiæ cæſariem, cum pilis non vnâ nigris fuligine? inter genas roſarum & liliorum cognatione blandulas, cum aduſtis cinifloois?

* *Iungantur iam gryphes equis,*
ſi tam diſcrepantia coniuncta ſunt.

Etiam inſtatis, Venerem & vulcanum diuino vinculo copulatos? aut igitur æternum iuſtitiæ parentem iniquum eſſe, aut non vſque

eò

eò Venerem à deformitate Vulcani diſſediſſe dicendum. Illud omnes refugiunt, hoc ſoli impuri, quò in impuritate puros ſe dicant. Quin ergo venerem deformem dicimus? Deformis eſt, fœda eſt, & ita deformis, vt animum etiam deformet, ita fœda, vt nemo non fœdus ei ſupplicet. Cuicunque illa placet, placet corporis turpitudo, & animi diſplicet pulchritudo. At cum Poëtis omnis reclamat antiquitas, formã Aphrodites paſſim ingerens? Vt æuum noſtrum ſuam habet ſpumam, ita fæcem ſuam antiquum; multa vtrumque propinat, quæ guſtare ſatius, quàm ebibere. Plura cum grauitate probarunt antiqui, quæ non ſine cachinno improbent noſtræ tempeſtatis idiotæ: multo etiam plura nos dicimus, quæ illi riſiſſent. Sed hîc antiquitas culpâ vocat, quum enim formoſam venerem nominauit, nõ natiuâ eam voluit, ſed fucatâ tãtũ pulchritudine præſtare, quæ quidem pereat, quoties in coniugis complexum, atrâ ſemper fauillâ obſiti, implicetur.

A ſordido ſordidi congreſſu, ſemper aliquos, aliàs nunquam, ex teterrimâ Hili tyrannide, & cæcis illius labyrinthi flexibus educit: quumque id temporis obliterato fuco maritali fuligine coinquinata ſit Venus, hinc eſt *

quam-

quamobrem nemo vnquam in medium Naturæ regnum exeat, nisi attratus, contagio scilicet spurcæ ianitricis, atque adeo omnium genitricis. Nihilo cæteris puriorem emissum me L. Augustus vir ponēdis siue in alueolo, si-
* ue in trapezâ calculis natus: ludo Magiolinus, obeundis publicis rebus, æréque numerando
* siue Veturius siue Minucius; ludicris simul &
* seriis, Porcius Latro, mense sibi cognomine ad fontem salsum tulit miræ quidem virtutis. Nam in eo repentinâ metamorphosi, pix mea plusquam Illyrica, in niuem cessit Gallicâ can-
* didiorem. Dicas lanam ab œsypo fontanâ, ra-
* diculáque repurgatam, immò enim nigellam
* ouem Cephiso immersam enitere, & iuuen-
* culum infernatibus votum, iam Clitumni occultâ vi, Diis esse supernatibus immolandum.

XIV.

Secundun salutiferam lauationem, altor Trophimus, & infantaria Thelastria, me ducturi Neapolin erant; sed repentinus pestilentiæ turbo nos in syluas ac montes impulit, vbi diutius extra tabidos luis afflatus considentes, tantum solitudo non mutauit in Satyros.

Gallia distracto flagrabat dogmate, natus

A patre,

A patre, à nato pater, atque à coniuge coniunx
Deficiebat: & in Regem plebs turbida dextras
Ensibus, & leuas clypeis armabat. Auitæ
Relligio exul erat sedis; velamine scisso
In partes plus mille suo, montémque nemúsque
Quæstibus implebat. Nullâ non vrbe triumphans
Omne scelus sacras sibi deposcebat acerras,
Et thensas, medióque foro, mediisque sacellis.
Virtutem coluisse nefas, coluisse piaclum
Laus erat. Aeneæ pietas despecta fuisset,
Triptolemi mens casta, Numæ sanctissima, iusti
Integra Minois; Nero, Messallina, Paríque
Prælati primis meruissent sidus & aram.
Ciuica mactanti ciuem, felíque puellæ
Myrtea, muralis perfossorique corona
Texta erat. ad vitiij manus ingeniosa triumphos,
Ad virtutis erat periuri vt saxea Batti.
Germanos iugulare, parentem prodere, mystas
Perdere, Patrocli, sacra subdure cymbia, sellæ,
A tellæ ludus. Non peruia claustra puellæ
(Musa rubet tam grande scelus transmittere castis)
Quinquennis sæuâ reserauit forfice sartor
Cypride correptus, fossæ immixítque cruentæ:
Sic impar vitulo taurum tulit integra virgo,
Aerato taurum tauro, flammísque Perilli,
Et Minotauro, sancto sub iudice, dignum.
Humanâ quem farta fugit farcimina pulpâ

Vendita?

Vendita? lætiferis quem lurida pocula succis
Infecisse dapes Saliares? Thessala philtra,
Et Zoroastræas artes quis nescit amorem
Ingenerasse animo, & fatum renouasse Lucreti?
Indignante oculo Phœbæo desuper orbe
Despectans Nemesis scelerum tot monstra, furore
Concita, Quando placent, dixit, tibi Gallia, monstra,
Monstra dabo. Terras monstrorum ecce ecce feraces
Aduolo, & Aethiopas, quibus hæc ampulla timori,
Lustro, mortiferos illinc missura tepores.
Fertilis in morbos Libye, mortésque, tulisse
Dicitur horrendum visu, afflatúque timendum
Monstrum homini, & pecori: Limum dixore Pelasgi.
Cæruleis guttata notis, guttatáque rubris
Pellis erat, quaquà sese insinuantibus atris,
In speciem cenchris; bullatáque sæuiter inguen,
Frumen, & ala. Oculi duplices fluido orbe natantes
Defectam solis referebant lumine Phœben:
Ora, canis crebros vomitus; spiracula Ditis,
Spiritus; & sudor victis malus artubus, hircum.
Lapsabunda trahens vestigia serpere monstrum
Dixeris: & verò dispersim funera iactans
Serpit, in æquali serpente citatur agro.
At quia deiectæ vieto sunt pectore vires,
Languet iners, nisi si vectoribus vtitur Austris.
Ergo Auster pluuio capite, atque humentibus alis,
Fronte tenebrosâ, & tentato lumine somno,

Et quibus ad Martem Missenus classica buccis
Increpat, argutis tactus cruciatibus ægri,
Fusum tellure attollit, virésque recentes
Flatibus inspirans, humeris trans æquora vectat.
Exponítque nouo gaudentem in Celtica cælo
Littora, de Nemesis placito. Temerata volucrum
Turba, boúmque cadit primis afflatibus, exin
Turba hominum. Primò depascitur ilia, & arcem
Quà se vita tegit, flammis vis morbida tentans,
Fortior incendit calidi munimina cordis.
Hinc facies Syllæ, fornacis anhelitus atque hinc,
Scabritie quoque lingua bouis, pellísque Gelonum.
Inde vbi perrupit vitalia claustra salutis,
Pestiferis & malleolis prætoria strinxit,
Pectore sub calido flammare Typhoidis ignes,
Vesuuíque putant moribundi incendia, partim
In fluuios, partim in puteos, fontésue, lacúsue
Corpora dant, patulisq; trahunt flabra faucibus, vnde
Restinguant pestis flammas: frigescere nescit
Atra lues lymphâ, nescit mitescere vento.
Cauta malo interea sanos Medicina recessus
Quos immortales, per montis, Oreades, alta,
In morbos tueantur, adit: Sic omnis adempta
Spes miseris vitæ. Iacet hîc anus, hîc iacet infans;
Hinc puer, inde senex æterna silentia Lethes
Intrat; auos abauis, natos genitoribus addit
Mors annorum ignara. Gemit sub pondere Porthmei

D

Cymba animabus onusta, nigro contoque subacta
Vix ripam ripâ mutat; tres stamine Parcæ
Rumpendo, tres versandis lassantur & vrnis
Disceptatores Ditis. Superaddita turba
Exanguis populi vitiorum turba, laborem
Ampliat arbitrij: testamentarius, erro,
Pædico, leno, meretrix, incestus, adulter,
Zonarum sector, quadruplator, catamitus.
De genere hoc reliquos ecquis percenseat? vrbes
Arma, duces, vexilla, rates, tentoria muris
Hectoreis inimica prius numerarit Homerus.
Prætori aratas vitiorum examina sedes
Circumstant, & collectis fremit vndique monstris
Curia; supplicium non ingens sufficit vrna.
Tam varium claro videat nil Phœbus in orbe,
Tam varium nigro videat nil Luna sub orbe,
Quam vitium est. Vnum centenis crescit aristis.
Fertilis in crimen mens est, Babylonia plusquam
Triticeam in messem. De crimine crimina fiunt,
Integro quæ non numerentur Aristoclis anno

Id quũ temporis domos calamitosa pestilẽtia funestaret, ciuitates desolaret, solueret cõiugia, excinderet familias, quò impunè me ferret? quia non habebat. Ad matremne? heu: mortiferè laborabat: ad patrem? rebus procerum addictus, non erat sui iuris: in vrbem? violenta lue funerabatur: in pagum? milite di-

ripiebatur: in villam? hoc & illo malo affligabatur. Itáne verò in vitam oportuit ingredi me, vt tot eâ repente mortes deturbare laborarent; & alicubi nasci, vt vbiuis denasci possem? de tenebris in lucem momento exire, omni vt tempore à luce ad tenebras per mille pericula reuocarer. Miseros homines, qui morti magis, quàm vitæ nascuntur! In tanto discrimine paternus me timor & amor, in pastoritiam casam editissimo montis iugo impositam, ablegauit. putares Delphici alitis esse * cunabula, aut Ithacam sapientis Homerici. * Dum illic lactens in cunis & vlnis Thelastriæ vagio, optima parens (malum) ex humanis abiit. Crudele fatum, quod mihi denique nouercam dedit!

XV.

Aliquot annorum stragibus expletâ Nemesi, salutaris Iatrice amicissimam Hygieiam * multis tandem victam precibus, in vrbes postliminio reducebat; & nos vnà iam semipaganos ab incultis montium salebris, ad cultas vrbium elegantias aduocabat, sed expectatum super itinere parentis imperium remorabatur, quum tabellas ad nos perfert homo etiam *

bus, quàm voce cum surdo obstrepentéque littore contendendum sciebat, facessit. Thelastria quemadmodum credula, ita & superstitiosa (infirmioris sexus vitia sunt) annulum ab illâ accipit, maiusculâ palâ abnormen. Quumque diceret Trophimo, iam nonnullam vaniloquentiæ fidem habenti (sunt enim homines superstitione, aliísque muliebribus vitiis, aliis alij minus homines) vt ei numeraret, Abstine, inquit senium, cœlestia terrestribus non muto. Tum Thelastria; Quid? nósne à te paupercula, non leue donum gratis accipimus? Enimuerò gratis: si quid tamen liberaliter erogatur; dummodò ne sit in pretium rei gratuitæ, & pretium non habentis, non recuso. Et accepto argenteo, eóque capitato numo digressa est. Annulo in pyxidiculam indito, pensóque mansionis pretio cumulatissimè, à Thelastriâ me abrumpit, & lachrymantem Trophimus in equum tollit; Musæus in alium insilit; ac petere Neapolim intendunt.

XVII.

Aberat vnius diei prædium consanguinei Omogenis, ad quod, vt iterum & tertiò inuitati, contulimus iter. Diffusam planiciem su-

per longa collium humilium dorsa, colles alij summâ sui parte nemorosi cingunt; inde cæduæ syluæ cum ipsis collibus descendunt. Sub his per latus suis in vineis Bacchus triumphat, vt & Ceres pro tempore, in spiceâ fruge, quà æquior campus primò viret oculis gratus, exinde fructuosior flauet: Illic quasi domus Omogenis Dei & Deæ regnis terminus sit, prospectum ex æquo hinc habet in boum, illinc ex alto, in vinitorum labores subiectos, & in arboretum, quod quum hortum ex parte vestiat, in occasum auidiùs se promittit. Virgo siderea sibi pugnantia inuerecundi Bromij dona, vrgente sole omnium parente fructuum coxerat: & iam Libra æquatis diebus cum noctibus, quibus colorem liuidum maturitas afflarat, expilandas vinearum opes nunciabat, quum in villam lautè pariter ac amicè sumus admissi. Atque ita factum, vt mustulentis Autumni deliciis præsentes adfuerimus.

XVIII.

Fœmina liuentes & cultro, & pollicis vngue
Decutit, aut albos alio de palmite botros.
Implentur cophini quibus os patet amplius, inde
Alios in calathos transmigrant secta Lyæi

Munera

Munera,quæ patulæ cubito tenus vncius orcæ
Rusticus imponat,subigatq́; & protropa preßis
Folliculis adimat,dum vimineo calathisco
Prouida virgo legit,quos postera seruet in anni
Tempora,sinceros ex notâ vite corymbos.
Interea calathus calathos,onus auctat onúsque.
Titinion stagnat rubicundo nectare, meßis
Bacchica calcatur,quæ mustea flumina donat.
Non benè siccatus vinosâ corbe racemus
Excipitur,prælóque datur.Iam cochlea contis
Torta retorta gemit,tardantia vináque pellit,
Suscipiant laxo quæ dependentia labro
Vimina,& emuncto,sistant vinacea, Baccho.
Torcula restagnant,rubeum laticemq́; refundunt
Suppposito lacui;pars haustris Vina prehensat,
Pars infundibulum parat,& pars dolia;suaue
Inuergit vinum pars altera,cottabus & fit.
Expertes curæ iuuenes examine denso
In numerum ludunt circùm, & dulcoris amantes
Dulcia compotant.Claro poppysmate fugit
Iste lacum;quinos digitos in pocula cogit
Vt bibat ille manu;mentumq́; sinúmque rubescit
Mæonij hic succo,sociósque irrorat,Iacchi.
Esse putes tot Silenos quis læta iuuentus
Pinxerit & malas rubris & tempora moris.

Per illam bacchãtium petulantiam, in hyalino calice vinum atrum, quippe tortiuum,

mihi puero propinatur, id quum dulce foret, proindeque largius biberem (solitant enim pueri,& rationis minus integri iuxta cum illis, vnâ dulcedine capi) ecce omnes facto clamore exsibilare,& explodere, quasi Nessæum sanguinem,aut piceam transfixi Pythonis saniem potarem; vndiq; phuy phuy exaudiri, & ædes totæ claro risu exsonare. Quid ego tunc misellus; contraxi vultum quasi telephium gustassem,& ad terram cyathum dedi, ex eáque die ad duodeuicesimum annum abstemius vi-
* xi. Crederes me de Clitorio bibisse, aut ouis
* monedulæ bucculam onerasse.

XIX.

Prono in vesperam die accumbimus, cum nonnullis domesticis, ferculísque parabilibus, ac villaticæ vitæ congruis excipimur, fumoso petasone, fartili capo, gallinis plurium rerum congerie infartis, chortalibus etiam pullis, & primâ inter terrestres feras, mensarum gloriâ lepore. Cœnam clauserunt prouinciales,oleæ, Auenionenses ficus, prunæque Syriacæ, cum Autumnalium fructuum copiâ, quos prædiatoriæ dederant arbores. Pauco præsumpto cibo mirificâ omnes gustatione initiatur; subinde

inde alacres, ille leporinam, porcinam iste, aliã alij acutis primo cultellis, acutioribus deinde dentibus concidunt. Ego verò, quæ puerorũ sunt, lacteis intentus, suum cuique palatum esse docebam. Ad potionem, puram poscẽti mihi, paratur subrubra instillato pauxillo vino, sed auersanti fontana cum ipsâ fictili vrnulâ meâ pro libidine affertur. Nec iam inde ab illa luce vllius apud me authoritas tantũ valuit, vt à puris Napæis abductum, ad petulantem Bacchum attraxerit. Ego ipse, quo diuinus anno Philosophus, mero pueros assuefaciendos primùm iubet, solâ impellente sanitatis curâ, Nympham cum Lenæo patre connubio permiscui, non quidem tam firmis vinculis, quin sæpè diffareatione separentur. Ante id tempus tam hostili in liquorem illum animo fui, quàm Poëta ille Teïus, amico; quod vel illo ipso diè non leuibus argumentis patefactũ. *

XX.

Mirantibus conuiuis vel inuictam in puero pertinaciam, vel repentinum de nihilo fastidiũ, hîc dictis magis quàm suis ferculis Omogenes obsonauit. Tollentem de terrâ despectã rosam filium, iusserat mater, verbera verbis

inter-

interponens, perinde abiicere, peremptorio quasi aconito manus infecisset. Illum hac vnâ deinceps caussâ tam capitaliter rosas auersantem vidimus, vt earum odore defectum animo crediderimus expirasse. quod etiam de Purpurato patre Oliuerio Carafâ memoratur. Tantum potest opinio in tenero pectore concepta. Ille, puto, si iam inde vsque à puero pro fragranti radice Cyperi, graueolenti cynozolo de nutricis operâ assueuisset, iam nollet alium suis vestibus odorem cõciliari, quàm qui à nigro Chamæleone, aut similibus. Hominem certè noui in literarum studio cũ laude versantem, qui à pueritiâ sulphureo putori sanitatis opinione assuefactus, Ischiani sulphuris graueolentiam, Hispani quàm pastilli suauitatem mallet odorari. Eadem de vitiis virtutibúsque sit ratio Animus à pueritiâ corruptus, vitio deinde delectatur, & ad suauẽ virtutis odorẽ expauet. Virtute imbutus, virtutẽ olere vult, & vt aulici naris emuncta delicatuli, sentinam vitij graueolentiam execratur.

Ab hoc sermone mensa remouetur, & ad aquam recens anaticula, mirantibus vniuersis recurro. Et Musæus, Reuolent, inquit, mergi ad sua flumina, ego quidem apis delicatula semper ad apianum, quo expletus poëticum

cum dare mel ſoleo. Iam tuo affatim recreatus, quin do, Omogenes? Inſtante Omogene, & ipſo fœliciſſimi poetâ genij, Dabo, inquit, non quidem Hymettæum, aut Atticum, ſed Corſicanum, amarulentam, inquam, ſatyram, * ad quam, noſter puſio, deriſu procacis turbæ nouiter factus abſtemius, viam aperiet. Pendebant promiſſis verſibus Omogenes, & reliqui, cum Muſæus ſic orſus alto ſpiritu.

XXI.

Quid ſit vt æternam Phœbei lampada curruũ,
Fictâ ſub ſpecie manicati Perſa Leonis,
Non ſine falcato gladio veneretur in antro?
Hæc Zoroaſtrææ ſutelæ inuenta fuiſſe
Quis negет? ad ſeros non duratura nepotes,
In teneras ſi non aures blaſphema parentum
Lingua inſtillaſſet ridendi numina cultus.
Quid ſit vt Aegyptus monſtris aptiſſima tellus,
Ora nouercali Crocodili callida fletu,
Muribus & ſaturos feles, Ibéſque colubris,
Stercoreos Scarabæos, Porrum, Cercopithecos,
Sigaliona, Canes, Apim, Bubaſtin, Oſyrin,
Et fibris colat, & lino, lachrymíſque, flagríſque?
Quid ſit vt à mutis maior Teſtudo colatur
Troglodytis? à Gaditanis curua Senectus

Paupe

Pauperiésque? A Mopsopiis, quæ numina mystes,
Non mage quam tonsor, gramioso aut lumine lippus
Nouit. & à Bardis, collectum in robore viscum?
Quid sit Parrhasiis vt Sarmata subditus vrsis
* *Puniceum colat in frondoso stipite pannum?*
Gossipinósque Deos non inuia America velis
Sidoniis, Regis Tyriis Hirámque carinis,
Pacifici Dominus sceptri, quas misit ad aurum
Curam hominum, ad gemmas, ad rara animalia?
Quid sit
Vt Comboddaxo det sacra Iaponia Cadmo
Thura suo, det thura suo Xacæque Lycurgo?
Quid Calecutanus monstrum cui cornua tauri,
Cui panthera oculi, cui nasus rhinocerotis,
Stymphalidum digiti, dentes apri, os crocodili,
Pro pedibus, galli calcaria? Quid noua cultu
Francia barbarico horribilem colit Hermaphroditum?
Et Gallorum relligio cur Hermaphrodita est?
Gallorum nutrix, Gallorum prima propago
Quid vota sequitur felem Germania Vestæ?
Quantulus in toto non desipit angulus orbe!
Vnica caussa fouet mundi tot dogmata, nempe
Instillata animo lactentis opinio. Nullus
Cultus in orbe foret saxi, non vlla superstes
Hæresis auctori, velut à propagine si non
Traduces sceleris ductos mala lingua tenellis
Pangeret in pueris. Solitat pellita Senectus
Credere,

Credere, quæ quondam bullatus credidit infans.
Dentis honor nigror est, primis quos Phosphorus ortus
Irradiat populis: nonnullis est vice numi
Concha maris; ferrúmque aliis pretiosius auro.
Teutonicus laudat genitor præsente puello
Pocula, postponit palmaria facta Lyæi
Potibus, & laurum viti, cœnísque triumphos,
Aemilianorum currus cyathísque Tricongi.
Postquam primitias malarum filius auro
Inclusit, vouitque aris, tum pocula quærit
Nestoream tantum pateram superantia, quantum
Lotricis solium Nicolæ præstare matellæ
Margati scimus, quoties tardante podagrâ
Incumbit siccus lecto, articulósq; focillat.
Tum sibi seruitiis implere ciboria Baccho
Imperat, integras & noctes præterit vdus,
Dum fœcunda micat geminato lumine lampas.
Hinc Veientani sibi credit serta fruteti
Laurea deberi, & limatæ epinicia linguæ.
Nimirum à cunis hæc insita opinio vixit,
Fartũ epulis, madidúmq; mero decora ampla manere.
Cætera cognoscas ex vno crimine. Testa
Infusi seruat longùm vestigia succi:
Si fuit vnguentum, bene olet; si nautea, putet.
Sic pueri mens est sanctis exposta loquelis,
Atque expôsta malis: nam si instillaueris illas,
Seruabit; seruabit & has si infuderis. Ergo

Quid

Quid pater in cerâ natorum crimina fingis,
Quid pater in tabulâ natorum crimina pingis?
Virgineæ quid humo sceleris mala semina iactas,
Irpicibus nullis, à runcatore nec vllo
Extirpanda? viget vitiorum viuida radix.
Quæ semel vt fixa est, naturæ crescit ab imbre,
Et fruticat, fructúsque malo dat semine dignos.

Musæus versibus suis mouit admirationem Omogeni, qui non publici, sed exquisiti saporis illos, haud ab suo vino, sed à Pieriis Musarum aquis esse iurauit.

Posterâ luce ad nobilissima ædium membra, amabilis hospes hospites suos deduxit, ad torcularium primò, operatione & mole regio, quod ad Sequanam aliquando vidimus, haud ita impar. Illius elegantiam quum pridiana petulantia, oculis aliò intentis, subduxisset, curiosius inspexerunt, & porrò laudarunt omnes. Dignum Campanorum montium vindemiis, dignum regiis & vinetis: Et quod in solium eligere debeat ἐπιλήνιος ille ληνῶν, post Indiam suæ ditioni subiectam.

XXII.

Exeuntibus Musæo & Trophimo sese res obiicit, quæ vel militarem animum conspectu pri-

primo consternat. Erat in angulo subobscuro cuppa vindemiæ cumulatissima, & suggestuũ ritu, quorum pictura textilis, ecclesiastis solo clamore celebris oratione figuratior est, tapete circuniecta. Mediâ in eâ, homo dicam an larua? stabat, tam linguâ piscis, quàm capite iynx. id enim tacitus motabat, quasi nobis abnutaret: &, quod frigidioris timoris caussa, amplo bardocucullo, & miniatâ personâ tegebatur. Iuuenis etiam laruatus antè prostans, crebrâ linei mantilis ventilatione, turbidas vaporantis vini aspirationes discutiebat. Musæus, qui primus aduertit, extimuit, & vt

---- ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσης, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα
Αψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τε μιν εἷλε παρειάς.

haud aliter inhorruit; & retrocedens, Hau obsecro, inquit, Omogenes, quid hoc portenti est? vúæne tuæ à nocturnis lemuribus calcantur? Et alter, O te tam raro, quam amplo corde hominem, qui amicos timeas! Occursum animæ tuæ metuis, ô timide Pisander; & strictum fratris Hectoris gladium, ô meticulose Pari? Quid si videas confertam hostium mortem minantium manum, aut strenuum Atrei filium ducentem se de curru, & arma in te mouentem? nullum profectò hîc dolium, do-

lis pauoris tui celandis sufficiat. Erigere, & illum tibi amicum scias, quia ego tibi. Nouus hic Diogenes in Dolio Philosophiam profitetur, pristinos mores dediscens, Ethicen edisscit, immò nos eam spectatores docet. & extra auditum abducto Musæo, omne ita rem illuminat. Nobilis est, & notus homo, qui ante annum, maximo suo malo, in regni se metro polin contulit, non vt Virtutem, & Sapientiã, & alia perfecti animi ornamenta, (quis enim eâ vnquam mente cogitauit eò? non magis quam ad omnium velut virtutum emporium, nemo Canopum se contulit.) Verum vt longo aulicorum vsu corporis gestus componeret, linguam piperatis dicteriis artificiosísque argutiis condiret, opportunâ vrbanitatis conformatione os expoliret, variatis ex occasione nutibus oculos perficeret, quæsitâ incessus grauitate vestigia libraret, in numerum saliendo totum corpus exerceret, omnem deni que speciem, sensúmque aulicum indueret, Scientiam dignã discipulis, quos nulla leuior tangit cura, quàm virtutibus animum exaggerare! Vbi primùm illic inexpertas tot inlecebras vidit, quas vbertim summæ vrbes suppeditant, pruriens natura non se tenuit. Vt gustauit, vt se repentè ingurgitauit. Lusit, &

qui-

quidem ludum omnem quem virtuti fallendæ voluptas inuenit. Sed id demum didicit, vbicunque dulce sit, ibi & acidum inueniri;& suauissimas quasque voluptates iuxta atque delicatissimos pisces, spinosas esse; & suo quęque scelere aliquando torqueri. Nam plura exercitia genialia ea neruorum solutio terminauit, vt manus perpetuo motu trepidantes, semiplenum ad os cyathum perferre non valeant;nec infirma ceruix,rectum & immotum caput suffulcire. Sic ergo affectus & afflictus, iam à vino medicinã quærit, à quo vt ab aliarum etiam rerum abusu,damnum accepit. Vt enim in interiore corpore immodicum, mẽbra omnia, extra vnum quod intendit ad scelus, detendit & emollit; ita forinsecus corpus solidat. Nihil in orbe nocet, quod prodesse non queat.scorpius vulnus infert,& medelam adfert. Vipera præsentaneum venenum habet,habet & præsentaneum antidotum.Cantharis nocentissima est, pota nimio pluribus vesicis corpus vitiat; at eius pedes, alæque in remedio sunt. id ipsum de reliquis dixisse liceat. Sapiunt, qui vt iste perperam rebus vsi, vtuntur tandem ad salutem: Sapiunt qui è re olim sibi venenatâ,pharmacum eliciunt.Quid igitur tralaticiâ veste tectus, nec ipse videri,

nec videri ſapere recuſat? nimirum qui iam ſapiunt, videri nolunt vnquã deſipuiſſe. Quis tamen Vlyſſes, qui non ſtultè, quod ſapienter ille

---- ἄναξ δαΐφρων ποικιλομήτης,

littus arauerit? quis de cœlo Cato, qui in cubiculum ſapientibus de rep. conſiliis venerandum, ſeruulam, cum eáque inſipientiam aliquando laſciuè non admiſerit? quis Niphus, qui non tam ad tibicinum modulamen, quàm ad illudentium cachinnũ, cum ruſticâ fœminâ impudenter imprudentérque non tripudiarit? Quis humanæ ſapientiæ magiſter, quis cenſoriæ grauitatis antiſtes, quis philoſophicæ ſubtilitatis diſceptator, & vt omnes vno complectar verbo, quis mortalis eſt, qui certè ſemel datâ inſanis dexterâ ſaltatorium eorum orbem non verſarit? qui Moriæ primæ hominum Deæ non litarit? Non ſolis inſaniam Clazomeniis publicum decretum indulſit: omnes qui ſunt, quíque fuerunt, quaſi communi naturæ edicto cautum ſit, æternùm ſapere; ſemel, ſi non ſæpè, ſi non ſemper, deſipuerunt:

---- ſemel inſaniuimus omnes.

Ita

XXIII.

Ita loquutus manum Musæi apprehendit, & in pergulam ascendens, Vidisti, inquit, torcular non illaudatum, vidisti & hominem aliquaspiam sui sceleris pœnas luentem: sed faxo iam nunc aliud torculare, quale nusquam gentium, videas, in quo scelesti torqueantur. Sub hæc verba, apparet ianua hac flexuosâ inscriptione superpicta, TORCVLAR VITIOSORVM. Illam legens Musæus, Hícne habeas vitij torcular, vt infra vitis habes? túne Triumuir sis capitalis, qui crimina tormentis quæras? Immissâ seræ claui, loquenti patet pinacotheca, vario genere tabularum mirabilis. Videntur Michaelis Angeli Bonarroti, videntur Raphaelis Vrbinatis angelicæ, aliorúmque doctæ manus, colorum varietate, veritatem naturæ prouocantes. Sub hac gnome quadratis & inauratis elementis pictâ, QVOD QVISQVE FECIT, PATITVR: AVCTOREM SVVM REPETIT, PREMITQVE CRIMEN, VT POENAS LVAT, isti vitiorum erant tituli.

Sub SVPERBIA, Aman subiectus prelo im-

mani cruce grauato, & à Mardochæo validè contorto, electurus esse interanea videbatur.

Sub INVIDIA, Zoilum centumpondio torcularis nucei suppositum; gloriosâ manu cochleam versans Homerus, miserè collidebat: & iam virulenta exerta lingua, Inuidæ missionem animæ prænotabat. Subridens hîc Musæus, Ne, inquit, cæcus Homerus in hócce torcularis circumactu, cæcos equos refert, qui maiores puteorum hortensium rotas contorquent. Certè refert, inquit Omogenes. Quem enim fugit (non te quidem poëtarum decus) Castaliis eum ante omnes aquis floridum poëseos hortum irrigasse?

Sub IRA, Aiax ferreo torculo inlatus, geminas pro torculariis habebat furias, à quibus commolitus, fœdum in modum distorquebat ora, dentes collidebat, oculos accendebat; toto denique vultu, tertiam penè furiam duabus adiiciebat.

Sub AVARITIA, Midam asininis auribus ad deformitatem insignem, aureo torculo miserè oppressum, diceres Bacchum inclamare, qui ex occulto caput exerens risúmque mimicum, vt est lætitiæ parens, aucto genarum rubore, discutiens, respondeat; Mustulentis

lentis equidem torcularibus præſum, at aureis, ne proſum quidem. Amo aſinos mei certè pædagogi gratiâ: & tibi vtique cooptando in eorum nobile collegium, vt inſignitus es eorum gnoriſmate, longâ videlicet aurium laciniâ, plus velim indulgere; ſed hilaritas, & mens libera Liberi, non curat Pluti curas.

Sub LIBIDINE, Spintriæ multiplici ſerie connexi, tam arctè Vulcaniorum firmo vinculorum compreſſu adſtringebantur, vt hinc & hinc ſanguis emicaret.

Muſæus æquâ admiratione inuentoris ingenium, & pictoris artem ſuſpiciens, vtrum prius dilaudaret ignarus, inter cæſa, quod dicitur, & porrecta, ancipiti conſilio vacillabat. Diu per admirationem voce ſuppreſſâ, tãdem eadem ipſâ ſtimulante: Nulla, inquit, tabula Cebetis eſt, quæ inuentione ſolertiori, nulla Apellis pictura, quæ natiuis magis coloribus naturam & ſcelerum imaginem reddat. Nam ſi de proximo aut rotati torculi ſtridor, aut miſerè miſeri gemitus increbuerit, putem de tabellis iſtis tuis exire. Iam verò quis dignè explicet, quàm accommodata ſit inuentio, tũ miſerandæ ſceleſtorum conditioni, tum campeſtribus iſtis ædibus vindemiarum torturæ addictis? Peccantis cor nunquam liberum eſt,

& crudeli veluti torculo ſemper torquetur. Ipſum crimẽ carnifex eſt apud nos, immò intra nos natus,qui in nos carnificinam exercet. Teſtem facio adoleſcentem illum Pleuſidem, qui quod de ſuo apud Comicum clarè, de ſuo quiuis ſcelere tacitè, ſed tragico quodam ſenſu dicit;

------- at hoc me facinus miſerè macerat.
Meum cor, corpúſque cruciat.

Teſtem etiam Tullium, qui *graue pondus* conſcientiæ adſcribit: nimirũ quia flagitioſæ vitæ homines ſyntereſis preſſurâ cruciantur. Hîc Omogenes, Nẽpe,inquit,ita eſt, ſuum quẽq; ſcelus terit,&

Culpam pœna premit comes:

Immò non premit tantùm, ſed & peccantem opprimit. Et idipſum ſcilicet eſt,quod ad illam, quam vides, inuentionem, mihi feneſtram patefecit.

XXIV.

Tum ad Muſæum vultum conuertens, vt ſuum ille ad alia ſigna, Attende, inquit, tabulas alias titulis Gulæ & Ignauiæ ſubiectas, & in illis velut torcularia videris Guloſis, & Ignauis animalibus, à naturâ parata; quæ ſolam

lam artem ſuam ipſius diſcipulam,hunc exornare locum non paſſa eſt, quodam per ſe & ipſa modo voluit. Aduertit aciem Guloni feræ,quam orbiculato capite parem feli exhibebat tabella, & maiore & piloſiore caudâ,vulpi parem:pelle verò diuerſis diſtinctâ notis, belluis Alexandrini conchyliati peripetaſmatis conſimilem. Ea in anguſtias rupium intruſa, tam arctè premebatur, cibos vt crudos ingluuiei ſuæ pondus vtrinque eiectaret. Agnouit continuò feram Muſæus, & O verum, exclamauit, Gulonis torcular! non ſolum in hominibus vitium, ſed vel imaginem vitij in brutis quoque animantibus, quas ſynteresi vnà cum ratione Natura priuauit, cruciatibus addixit; tam ratum eſt,flagitium nullum ſine ſupplicio fore.

XXV.

Viſum deinde promouens,aliam videt belluam,nomine,ſuo cum titulo PIGRITIA, conſentientem, & Europæ, niſi per pictores, inuiſam. Vulpinâ quidem magnitudine, ſed roſtro turpiore,& vngulis ad inſtar digitorum productis; pilis verò occipitij tam effuſè ſummiſſis,vt tegãtur armi: verritur autem humus

fœdo tractu ventris adipati. Ponè subit adolescens æneâ cute, & atris cancellatim lineis maculatâ, ac facie spissè cicatricosâ ad lapillos vilesinligandos. Dextrâ fustem quâ clauatum, quâ nodosum tenens, tam crudeliter in bestiam sæuit, vt costas immoderatâ castigatione ossium tenus renudetur, in suæ veluti tarditatis solutionem. Musæus aspectu primo, Agnosco, inquit, agnosco feram, vsque eo terræ adfixam, vt in pedes exurgat nunquam, neque vllis verberibus lentos gradus maturet, adeo vt quindecim diebus integris in æquâ viâ & commeabili, vix milliare permetiatur. Quod si ad arbores victum dantes adrepat, biduum certè, ac tantundem in descensu ponat. Et Omogenes, Illud ipsum, inquit, animal est, quod in Brasiliâ nasci peribent, sola notum ignauiâ.

Obtutu singulari singulas vitiorum tabulas intuitus, communi deinde oculo Musæus percurrit omnes, Vitia, inquiens, quæ patrari video, terrent me & fugant: sed hîc picta mirantem morantur. Sicubi serpentem offendo, offendi timeo, & exanguis ab angue celerem pedem refero. Quid sicui tortilem fieri videã? hui! Quid si cum Troianis vidissem Porcem, & Chariboeam teterrimos colubros stridente

sibilo

ſibilo minaces, & vibrante linguâ lethiferos Lacoontis ſoboli ſquammeis ac horridis ſpiris implexæ? horrorem illum mille mortibus frigidus horruiſſem. Sed horrida illa ipſa funera, dũ heroicâ tragicáue, ſiue Petronij, ſiue Muſâ Virgilij diuinè reddita video, ita me ſuperi benè ament, vt lego, ſæpiúſque relego, vtoſculor, vt ſinu complector verſus, qui horribiles illos ſerpentium complexus complectuntur. Quod ſi arte exactâ inciſos marmori videre contingat (& cõtigit mihi ſæpius, nec pridem, nec hinc ita procul) velim ſerpentis habere oculos, quîs ſerpentes illos plenius poſſem contueri. Hoc ipſum de vitiis dicere liceat, illa peius baſiliſcis abominor, ſed hîc expreſſa & inuentione & manu eruditâ, non iuuat modò aſpicere, ſed & ſuſpicere, vt nunquam ſim laudando feſſus. Hæc loquutus hiante oculo tabulas omnes pererrabat. Et iam humano pluſquam calore tentabatur, quum etiam denuò ſuſcipit: Mea qualiſcúmque Muſa hoc nomine Ammonem æmulatur, quòd vt ille rerum aſpectabilium oriente communi lumine; ſic iſta pulcherrimarum rerum aſpectu, ad cantum extimuletur; ad Lydium quidem, Apellis Venere; ad Doricum Apollodori Aiace; & ad alios aliis. Iſtæ tuæ tabulæ quæ tormenta ſcelerato-

leratorum ante oculos ſtatuunt, me forti ve luti thyrſo feriunt ad ea referenda.

XXVI.

Ille cruces habet, ille rotas, habet ille flagella,
Omnia carnificúmque armamentaria: Syllas,
Macrinos, Marios, Diomedes, atque Perillos,
Infando ſub corde locat magalia quiſquis
Dentatis ſcelerum gregibus. Pax nulla dolores,
Nulla quies animum lenit: nox turbida ſomnum
Diſcutit, & vigili curarum cedere turbæ
Ocyus, ad fratrémque iubet diſcedere Lethen.
Ille toros Virtutis adit, pacatáque mulcet
Pectora, dum fodicat ſtimulus malè conſcia noxæ:
Qualibus exercet paſtorem horroribus Arcas
Capripedum Deus, vmbroſum qui Mænalon altis
Nudauit pinis, temerauit & antra Lycæi.
Cretatus prenſátne aliquis, vel torquis honores,
Vel trabeæ pugnante alio? mens concita vanis
Fluctibus exundat. Vidiſtin' picta lucernæ
Tegmina, bullatum quîs cœtum piſtor ad ædes
Dulcia monſtrantes irritamenta gularum,
Cogit? ibi lepores, catuli, vulpes, elephanti,
Frænatus gryphs, frænatúſque anſerculus, atque
Turpia ridiculâ cum veſte pithœcia, claris
Voluuntur gyris. Totidem phantaſmata verſat
Turbato

Turbato cerebro iactata cupidine multâ
Quem premit ambitio; tot rostris pungitur, & tot
Dentibus exeditur, quot habent animalia dentes
Rostráque, laternâ quæ tralucente recurrunt.
Inuide Palladiâ non pinguior alite, quid te
Quæsitis laceras alieni vepribus agri?
Quid macer in pingui non seligis optima campo?
Sed tribulos, lappas, & noxia lollia ocellis
Rufe tuis, Venus, & Bacchus caligine dudum
Quos tentant, metis electæ quin gramina glebæ?
Deficiente malo si gramine vescier almo
Cogeris, in putrem quid vertis liuide succum?
De cannis quid amara trahis, de luce quid vmbram?
Librum scriniolo prælum subtraxerat, & me
Obnitente, hominum censuræ obiecerat, is quem
Mutato inlustrem popularis nomine fecit,
Me legit, aut potius transuerso lumine limat.
Optatis meliora videt, furit, æstuat, & nil
Dum quod carpat habet vir araneus, ilia carpit
Ipse sua, æratis liuoris dentibus. Adsis
Bupale, da restim, da fanni Cepio ferrum.
Inuidiæ tantis exarsit torribus, ægrum
Traxerit vt corpus periturus luce sequenti,
Ni foret à socio medicina reperta dolori,
Quam nec Hieronymus, quã nec Laurentius vnquã,
Seu Galene tuâ reperissent, siue Philine
Arte tuâ. Alter erat simili rubigine rosus,

Indigus

Indigus Anticyræ, diui cathedræue Benigni
Stultus Epistathmus (quid enim tua nomina celem?)
Non mage Pirithous mihi quàm tibi Daunie Drãces
Turne fuit. Liuore meum traduxerat ille
Nomen apud magnum Heroem, non congrua quasi
Materies libri auctori foret. Omnia garrit
Aegroti ad spondam mendacis spicula linguæ
In famam vibrata meam conamine vano.
Qui numerandus auis Stygio sub carcere auari
Ditis erat, tantâ sensit dulcedine mentem
Inde suam stagnare, vllo sine Apolline, venis
Cesserit vt properæ febris prænuntia mortis.
Progenies pardi quæ humano stercore tristem
Vesceris in morbum, cur respuis optima? cúrue
Re meliore doles, re deteriore valescis?
Tu tibi supplicium, tibi tu rota, tu tibi tortor.
Et tu sulphureo qui pectore concipis ignem
Scintillâ à verbi minimâ, quid numina iuras,
Et diris caput addicis? quid tartara cæcos
Vis laxare sinus in propria funera? dente
Quid frendes? strepis horrendum quid voce boanti?
An caput æratum, tibi frons an ferrea duros
Impellis qui sæpe Lares, velut ariete murum
Pellibus instratâ miles testudine tectus?
Tu tibi supplicium, tibi tu rota, tu tibi tortor.
Tu tibi tortor & es rutili draco tutor acerui.
Pallidus argento, congestóque icterus auro,

Et

Et simul aggestis curis macer, atque retorto
Lumine, ciuis erat quondam mihi: Bacchica habebat
Cella cados totidem quot habebat. Opimius olim
Tempore cocturæ, tantum illius horrea frugis,
Ventilat in sicco Libycus quantum æquore vannus.
Ille tamen vappam, Vaticanúmque rubellum
Quærebat modico ære siti, modico ære famíque,
Quem nollet panem in gradibus pauperculus imis.
Nec nisi duratum in tegulis comedebat, vt esset
Parcior illius. Curiorum ô æmula virtus!
Venerat à Musis bis deno floridus anno
Galbinus formâ præstans & robore, sæclis
Exuperare potens Stampensem à tempore dictum,
Ni Venus obstasset damnosa Malæa iuuentæ.
Quum sit inexpertis nundum gustata voluptas
Blandior, vt primum iuuenilia melle labella
Illeuit, flammare iecur sibi sensit amore
Prostibulæ, quem non valeat plena vrna cicutæ
Cecropidæ æditui restinguere. Laxat habenas
Nequitiæ, Paphióque luto maculosus inheret.
A mellis stillâ siccanda est amphora fellis:
Stertendum in cluso, sudandúmque hypocausto.
Impositus crati liquefit, ceu natus Eleusi
Munere dum Cereris maioribus aptior ausis
Redditur: insultat calidis hinc inde fauillis.
Cypridis heu quanti oblectamina tantula constant!
Dispeream si vos sequar amplius, inquit. Ab igne
Liber,

Liber, vt ad cœnum sus ad cœnosa recurrit.
O ventosa hominum decreta, nec vnius horæ!
Igne vaporantur languentia membra secundo,
Succumbunt, inhonesta vocant & funera. Ploras
Quid Galbine? hæc flamma tuâ te terret ab aurâ.
Est Siculo & Veneto Cyprium damnosius æquor.
Infœlix quicumque illo sua carbasa credit.
Nec tua sors magis alba, Piger, qui deside vitâ
Tot tibi damna creas, quot ranas vnda lacunæ.
Nam pituitosis damnas tua postera morbis
Tempora, dum turpi distendis membra veterno.
At tu discorum gurges, gula digna Celæno,
Deliaci dextrâ recutitus qui tua farcis
Viscera, gallinis Afris, atque alite Colchâ,
Pontéque iactatis mullis, rhombóque, scaróque.
Cuius aqualiculus Troiæ fatalis haberi
Possit equus, numero volucrum, Protheíque ferarum,
A medio gula quas aduexit Doridos antro.
Quid calidas raperis mentis male sanus in iras,
Quòd dedignatur stomachus sua pondera, quòd te
Discruciat venter, nec te sinit ire per omnes
Optatæ scenas vitæ? tu sola doloris
Causa tui; in seruos buccas quid turgidus inflas?
Læderis à te ipse, ad pœnam deposcito te ipsum.

Sibi quisq; congrúa & placita lubenter audit: Phæaces Homerici in luxuriam soluti, & malacum in modum vitam agentes, Demodoco

docò adulteria canenti ſecundas dant aures: ſecus Vlyſſes, qui quum miræ eſſet tolerantiæ & διογενὴς πολύτροπος, Duratei dolos equi, & Troiæ haloſin incinentem audire maluit. Quid igitur eſt cur doctâ vitiorum obiurgatione non impendiò fuerit adfectus, tam nequitiæ capitalis hoſtis, quam probitatis certus amicus Omogenes: adfectus eſt, & vel mirificâ voluptate. Atque hoſpitio coniunctum ſibi porrò voluiſſet Muſæum verè muſæum, vti Parnaſſios poëticæ iucunditatis fructus, ex eâdem ipſe muſâ perciperet, ſed paternâ de me mandata poëtam auocabant. Dies igitur pauculos beneficâ neceſſarij hoſpitalitate recreati, abitione ægrè impetratâ, viam capeſſimus intermiſſam. Prima itineris milliaria æqua ac directa fuerunt. Sed quum nullius hîc commodi diutinus ſit tenor, frequentibus cliuis & importunis paſſim ſenticetis, in difficilia degenerarunt. Volentes igitur Muſæus & Trophimus offenſatoribus equis parcere, deſcendunt. Dúmque pedites duo mihi oneri ſuccedunt, quâ aſpera & inæqualis eſt via, hoc illam Muſæus fabulæ acroamate adleuat, & adlæuat.

XXVII.

Omnium Pandoræ mulierum principi, potentiam Iupiter impertiuerat, Iuno maiestatem, Minerua sapientiam, formam Venus, Apollo musicem, Hermes eloquentiam, Mars magnanimitatem, Vulcanus denique artes dædaleas. Hîc ἀπαντοχτῶ, aut nusquam dicere licuit. Verùm quum nullum, nisi æternum bonum, longissimè à malo absit, illa bonorum summa summam malorum habuit eleganti pyxide conclusam, quæ externam spectanti faciem, gemmeis magnæ Reginæ parapher nis digna videri poterat. Auro & arte radiantem ad coniugem Epimetheum detulit (sic volebat Iouis ira cœlestis ignis sacrilegio succensa) ad coniugem Epimetheum, vxor, plurium more, malè consiliata, & omnium malorum prima radix. Epimetheus (quæ germanorum est discrepantia) tam inconsultus, quàm consultus frater Prometheus, capsulam adamantinis claudendam seris, disclusit. Ilicet quà data porta sexcentæ corporis pariter atque animi pestes exilire, in patentes auras erumpere, & cœlo maríque dispergi. Teter carbunculus in Narbonensem Galliã, impudens brõchocele in Alpes Cottias, cadauerosa

ele-

elephantis in Ægyptũ,exſucca phthiſis in Luſitaniam,inuicta epilepſia in Hetruriam,fœda ſtruma in Iberiam,lues Venerea in Occiduam Indiam, & funeſta peſtilentia in Sardiniam ſe contulit. Vt ingruentibus malis nec regio, nec hoſpitium defuit, ita nec hoſpites cuiuſcunque modi ætatis, qui ea ſuo ipſorum vel maximo incommodo exciperent, adeò prauâ voluntatis inclinatione mortales in mala propendent. Nam tuſſim,ſtranguriam, dyſuriam, nephritidem, calculum, vertiginem, apoplexiam, glaucoma, podagram ſenes; phreniti dem, febrem continuatam, hemorrhoidem, pleuritidem, lethargum adulti; verminationem,boam,aphthâſque,ac pſoram pueri ſunt hoſpitati. Hîc accedens ad me, & inflectens vocem Muſæus,oculis iſtis ſuauio humectatis, Ea,inquit,mi puſille,à tuo auertat capite diua Hygeia. Tum fabulam reſûens. Malis etiam gracilioribus, ſed nocentióribus nominatis, vt pote animo, non corpori infeſtis, homines incauti de habitatione accommodarunt. Nulla enim tam inhoſpita regio, quæ vitiis non fuerit hoſpitalis. Regionem dico, quia vitia non priuatas ædes, ſed haud ſecus quam orbis Reges, integras ſibi prouincias acceperunt.Nam leuitas in Galliam,ſuperbia in Hiſ-

paniam, factio in Italiam, inertia in Angliam, temulentia in Germaniam, procacitas in Noricum, contumacia in Saxoniam, rapacitas in Boemiam, loquacitas in Sueuiam, ſeditio in Illyrium, ſuperſtitio in Pannoniam, ſtoliditas in Grunthlãdiam, ſuſpicio in Lappiam, magia in Scotiam, & alias Septentionalis plagas, ſeruitus in Cariam, iactantia in Dalmatiam, mendacium in Græciam, pertinacia in Æthiopiã, graſſatio in Arabiam, perfidia in Iauas, tyrannis in Chinam, iniuſtitia in Tartariam, ſocordia & immanitas in Americam, luxus in Aſiam, ignauia in Africam, in Europam violentia, & alia alio aduolarunt.

XXVIII.

Non nouem tantum id vaſculi, vt equus ille vrbi totius Aſiæ florentiſſimæ feralis, ſed incendiarios peperit ſexcentos; qui vniuerſum orbem adflixerunt, atque etiamnum adflictant. Omnium poſtremus, vt qui pro naturâ in fundo reſidebat, exiuit Endomychocacus, monſtrum adeò informe, vt deſcriptionem refugiat. Nam facies illi nulla, nec membrorum conformatio quæ ſpeciem conſtitueret. Internis duntaxat membris conſtabat, iiſ-

que

que tam fœdis & ineffigiatis, vt inde triformis Scyllæ, & biformis Centauri âbortiuus haberetur: Et haud secus quàm catharma omni scelere detestabile vitaretur. Monstrum vndelibet deturbatum, quum vbi consisteret non haberet, in Epimethei capsulam reuolauit. Spes aureum Desiderij poculum prætendens, quod optet si videat Sinopensis ille Philosophus, cui vnicum optatum fuit, optare nihil; innumeris etiam stipata simulachris, qualia propemodum circuncursare Morphei dormitorium Poëtæ canunt, capsulæ labris tum alludebat, quum Endomychocacus introrupit. Illa tam notæ malignitatis contubernalem non ferens, Iouem adit, cum quo de acceptâ iniuriâ expostulat. A monstrorum fœdissimo exactam se ex sede suâ, vellet iuberétque aut nouam sibi dari, aut pristinam inuiolatè restitui. Endomychocacus animorum carcinoma, Ioui morborum animi medicæ cedere iubenti, refert, Cæteris suis consortibus passim benignè exceptis, se vnum de omnibus nusquam locorum aut inuenisse, aut exorasse locum: sic vndecunque exterminatum in sedem primò concessam remeasse; si se vellet cedere, daret pro summâ ipsius æquitate rationem & viam aliubi habitandi. An

nuit rerum Pater, Dabo, inquiens, nec vnam; & in posterum plus erit mortalibus curæ domicilium parandi tibi, quàm tibi, quærendi. Nam bona illorum pars, qui suas in ædes consortes tuos admiserunt, & admittent certatim te: Superbi, mendaces, rapaces, seditiosi, suspiciosi, magi, perfidi, & alij plerique hospitium tecum facient. Quia verò per Epimethei imprudentiam sede tuâ abiisti, mala imprudentibus assiduè comparabis & inferes. At qui se prudentiæ nomine dignos præstabunt, qui epulis accumbant meis, te ac tuos dolos prosperè felicitérque declinabunt. Et accersito statim Vulcano imperat, vti callidissimâ personam arte perficiat, cuius eleganti ac scitulâ specie perspicacissimus etiam Iustitiæ oculus eludatur. Omnem artem & ingenium ad imperatum opus confert fabrilis solertiæ magister: & perfecto demum artificio tam aptè circumuestit Endomychocacum, vt medioxumorum etiam deorum oculis imponat. Mundi ipse oculus,

--- ὃς πάντα ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει,

vt cæco cum Homero loquar, hac in fabricâ cæcutiit. Eâ enim erat arte perfecta larua (Hypocrisin nominarunt) vt blanditer omnibus arrideret; & deformosissimus Endomychocacus,

cacus, illâ & formosissimus & gratiosissimus apud omnes esset. In eâ contemplanda quocunque inciderent oculi reficiebantur. Ille tamen sub amabili blanditiarum imagine turpitudinem, scelus, hostilitatem obumbrabat: Ita demum factum est, vt exactus à nemine, exceptus ab omnibus circuncirca volitarit, & etiamnum volitet, in aulis quidem principum superbè, in litigioso Themidis foro rectè, in negotiali liberè, in Religionis ædibus speciose, in sanctitatis templo superstitiosè, sed vbiq; calidè triumphet.

XXIX.

Festiuâ Musæi narratiunculâ, mollius quàm suâ Themistocles lecticâ vecti, conuallem deciduis scilicet decoloribus foliis minus vmbrosam, deprocul vident. Et in eâ Trophimus raritate frondium visum transmittente, aliquam ædiculæ speciem aduertens, Quando, iamdudum sacra nos loca defecerant, eò diuertendum edixit, vt, si quod pro indicio sacellum foret, illic aliqua Deo vota susciperemus: Imus, & in penitiores vallis secessus penetrantes, in cespititiâ sedeculâ hominē videmus confidentem, exercitati vultus, & eius-

modi barbæ, quæ prolixo descensu, tantum ad totius oris reuerentiam, quantum leucophæa vestis ad religionis specimen adderet. Fuerat Musæo per florida adolescentiæ initia cum pio viro necessitudo non vulgaris, iisdémque artibus animum instruxerant, sed tempus quod rerum omnium mutat facies, mutatis eorum vultibus alterius alteri cognitionem subtraxerat. Visis ille nobis librum opinione nostrâ precarium, æneo vncino adstringens, adsurrexit, & malino baculo firmans pedes, lento ad nos, & citatiore contrà gradu perrexit ad eum Musæus, ac mutuâ salute redditâ, De via inquit, quantum dabatur cernere, locum hîc pietati deuotum suspicantes, Deo in transitu vota facturi deflleximus. Apotropus (id erit seniori nomen) de pietate aduentúque gratulatus in ædiculam viam præit, & inibi fusis ritè precibus, in hortulum qui sedulâ culturâ gustui vtilis magis quàm cæteris sensibus gratus, Religiosæ se Frugalitatis, non voluptariæ Floræ fundum prædicabat.

XXX.

A lentâ inambulatione in cellam deducimur, vbi de itinere placidè quærenti respondet

det Musæus, missâ peregrinationis suæ longâ Odyssæâ, breui quippe tẽporis spatio, exiguo veluti putamine non comprehendendâ, Ab vrbe secessisse nos, pestis grassantis deuitandæ; commissúmque & suæ & fidei Trophimi pusionem (quod dicebat me repræsentans) & lue demum extinctâ, Neapolin conducere. Tum Apotropus mihi delicias, quales olim Priamus Astyanacti, faciens prosperam fortunam precatus est. Deinde sciscitanti numerũ, qui ab vrbibus abscesserant, Credas, inquit alter, Deucalionæo redeunte cataclysmo, homines quotquot sunt, alta montium iuga ad eluuionis effugium repetiisse, adeo solitudo montana frequentatur. Et Apotropus, Ego ipse pariter, inquit, timore pestis paucis abhinc annis, secessionem feci, verùm non illius quæ corpus in tabem, sed quæ animum, resoluit. Quid enim plus vasi fictili, quàm pretioso thesauro timeã; fluidæ & terreæ materiæ, quàm cœlesti, & diuinæ auræ particulæ, quam vt mors corpus, nefaria item vita perdit, vt dicebat Philistio? Insani mortales prudentis nomen affectant, quum non plus sapiant, quàm si mel Heracleoticum cum pulticulà papparint, sũmis vnguiculis, non medio cordi timẽt; fluitantes pumices, non latrantes scopulos; id

vnde paronychia contrahant, non vnde perineumoniam, cauent. Defugiunt turbam morborum contagione correptam, at infectam vitiorũ contagio non declinant, immò frequentiâ celebrant. Inire cœtus, qui vitium deponere in vitio ponunt, iam gloriosum est. Hominum circuli scholæ vrbanitatis habentur, quũ improbitatis sint. Adfert enim seorsum quisque suas eò culpas, veluti symbola, & mixtas faciunt suas multi, vorant plures, omnes certè gustant. Illic ambitio, iactantia, conuitia, libido propriè apponuntur, & fons omnium vitiorũ depudere, quod ex crebro illo inter se adspectu, adfrictúque manare sciunt omnes. Nihilo minus admisceri turbis decorum, contrà secedere indecorum est, licet nemo non nobis vitium aut imprimat, aut nescientibus allinat. nescientibus inquam, quia plerúmque nocẽtiores illi nobis, à quibus securiores esse videmur. Cum his postremis verbis tabulam indigitauit.

XXXI.

In eâ Rex insigni solio insidet, tortili tæniarum serie caput ornatus, tibias indutus cothurnis, aureis micantibus segmentis, & genuũ tenus

tenus extantibus; cætera, tunicâ pretioso metallo rutilâ, & ad pectus gemmeis adstrictâ fibulis regiè decoratur. Ars penicilli artem acus æquasse, vel phrygiones ipsi faterentur. Viri aliquot principes ad ridentis pedes iacent; & qui recti propius absunt, quasi loquentis vocem excipiant, in vtrámque partem toto corpore vacillantes, adlaturi sunt iacentibus accessionem. Et inscriptum maiore literâ, NIHIL TAM LETHIFERVN, QVAM BLANDA QVOD SPECIE PESTIFERVM. Et subscriptum minore,

Rex certam, sub claro habuit diademate, pestem:
Certa sub illecebris toxica mundus habet.

Musæo hic hærente sic orsus Apotropus.

Cābaia regnum est, ad oras primo sole salutatas, Guzarat incolæ vocant, cui Machumar imperitasse testatum habemus, Regem veneno (ita volente patre malè, timente filio) ab ortu innutritum, sensim toxici scrupulo super siliquam dato. Is in tam virulentam feritatem venenato nutritu degenerauit, vt, quæ in eius cute temporariam muscæ quietem vellent, æternam caperent. Quoties autem ipse quempiam vellet interimere, augendæ scilicet pesti, pestiferum fructum Chosale, foliáque Tambor quàm simillima, illum mos-

chocaryo,ista persicis,esitaret. accersitum deinde haud minus lethaliter, quàm blanditer alloqueretur. Nemo tam integrâ valetudine fuit, qui venenato Regis afflatus halitu, in mediam horam durarit; nulla pellex quæ concubitui superfuerit.

XXXII.

Num id nobis aptè notet pestiferum hominum consortium? Omnes omninò in omnibus regij haberi volunt, optima quæque præ se ferentes; odium verò, dolos, & vitiorum pestem dissimulant & obtegunt, quum illa videas, & ista te fugiant, fidenter præclarâ specie vocantibus te socium addis, addis pariter & sceleri; quin fortè scelerum scopus ipse es. Non places? in te erumpet simultas: niueâ morum probitate candidissimus es? indueris in laqueos: à prauitate & corruptelâ alienissimus? longa porrò adsessione omnium scelerum lue inficieris. Caue igitur ante pestem corporum, animorum pestem; fuge, quantum humanitùs licet sodales malos, qui fraude & arte inrepunt & inrumpunt. fuge; hærebunt enim tibi sordes auaritiæ, si cum sordido; hærebit superbiæ tumor, si cum tumidis conuer-
saberis

ſaberis: incendunt etiam libidines adulterorum ſodalitia. Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ nō homini ab homine naſcatur; nec tam ſyncerus vllus, qui non queat infici. Romanæ ſapientiæ antiſtes Seneca, non intemeratus proximè homines ſtetit: *Auarior*, inquit, *redeo, ambitioſior, luxurioſior, immò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Qui ſtabunt nec ſapientiâ, nec virtute aliâ vllâ inſigniter muniti? repentè illos videas & lue corripi & corrumpi. Vidiſti arborem in denſo nemore incendi? ignis non ſe continet modò à proximis; ſed nec à proximarum proximis:

---- inde ſequutus
Per ramos victor, pérque alta cacumina regnat,
Et totum inuoluit flammis nemus, & ruit atram
Ad cælum piceâ craſſus caligine nubem.

hoc ipſum vitio adſcribe, quo qui affectus, non ſocios afficit tantùm; ſed inficit & ſociorum ſocios. Plures malorum colloquium horulæ momento probos perdidit, quàm læſerit vnquam ſanos Cambaiani Regis alloquium.

Iam de fœdâ voluptate, quæ ab humano fit conſortio, quid ſigillatim cenſeam? peſtis eſt & illa Iunonia apud Poëtas, quæ Æginam afflixit, tardiùs ab inſulari ad inſularē dimanabat,

bat,quam ab homine voluptas in homines inundat. Nullus fuit, nec erit vnquam grassanti modus, quia voluptariorum nulla vnquam fuga. Non miraris in regno Othomanico luẽ dispergi semper & recrudescere, quippe qui scias pestiferum illic non refugi magis, quàm medicum, de inconsulto fato errore sic imperante. Quid ergo mirum tot homines voluptatibus implicari, quum à mollium consuetudine non refugiant? Contagiosas esse nobis ipsi persuademus, sed nõ ita forsitan capitales? capitales sunt, immò illis capitalior pestis nulla, vel ex Tarentino Archyta. Nemo viuus ex voluptatis thalamo surrexit.

XXXIII.

Interea dum senex grauiter iuxtà ac piè loqueretur, ego puer pueriliter faciebam, pyxidem encausticâ radiantem picturâ, quâ concludebatur amuletum, identidem ventilando, Trophimo nequicquam prætextam succussante. Quod aduertens Apotropus, Quid hic agas? inquit, pro ætate sapimus. Quis rusticus tam rusticus qui arbore ex tenellâ, aut flexili taleolâ maturos fructus quærat? ne quærit quidem omni tempestate ex perfectâ. Quis philo-

philoporiſtes per ver, floreſcentis pomi ramis ad fructus manum admouet? expectat vſque dum.

Pomifer autumnus fruges effuderit.

Suæ ſunt ætates rebus omnibus, & quod pro ætate fit, iure fit, non quod præter ætatem. Equitantem in arundine Ageſilai filium, & nepotulos Magni Coſmi auenam aptantes in ruſticam cantilenam, nemo culpabat: ſed illa ipſa actitantes & patrem & patriuũ, erant qui mirarentur. Hoc ipſo pueri ſapiunt, quod ſapere neſciunt. Qui puer non eſt in ætate puerili, ægrè maturus erit in maturâ; qui ætatem ſapientiâ, inſipientiâ plerúmque mortem anteuertit; quia nullum præcoquum durabile, & ingeniorum præcox genus, non temerè vnquam peruenit ad frugem. De primæ primi regni ciuibus vrbis dicitur, infantes ingenioli acumine vel altiuolantes aquilas videri, præſtare ſe demum grandiores, percnopteros; ita in excordes degenerare.

XXXIV.

Quum hæc ſenili ſententiarum grauitate, & verborum ponderibus dixiſſet, pyxidiculã à meâ in ſuam manum ſumens, quid ineſſet quæſiuit.

quæsiuit. quum valetudinem audisset ex Musæo, miratus est ex ambiguo dictum, nescius commodámne an incommodam intelligeret. Deinde Musæus, ad bonam quidem valetudinem datum, quidquid tandem foret inclusum, quum diceret, sed pro noxio ducere se. Si bona, inquit Apotropus, à pyxide valetudo corporis sit, amplas ei laudes; si animi, amplissimas nimium miris modis concesserim. Et Musæum interrogans, Age amabò, quam pretiosissimæ rei pretiosissimam thecam censes? Ille ore leuiculum ad risum diducto, Ceimeliarchas, inquit, aut collybystas qui & argento & gemmis pontem suum Lutetianum onerant, exposcat isthæc quæstio; non paupercullos, quibus post longa iniquæ fortunæ ludibria araneosum sit marsupium. Et Apotropus, Immò enim quàm maximè doctos, de quibus esse te censeo, atque adeò sentio. Tum Musæus, Doctos sequi nunquam voluntas defuit, sed potestas assequi; itaque literator iure fortasse dicar, sed doctus neutiquam, nec literatus. Augustus enim docti titulus, quantumuis hodiè in cassis multorum hominum, & (pudor) fœminarum etiam capitibus profanetur, non grammatistæ Polemonis peculiolo, sed ingenti Varronis thesauro comparatur.

tur. De responso etiam atque etiam contendente sene, tandem, Si de thecâ, inquit, deterrimarum rerum quæreres, haberem forte ad manum quæ responderem, vel ea recensendo quæ de fatali Eriphyles monili Poëtæ, vel quæ per itineris occasionem de Pandoræ pyxide Trophimo memoraui. Malis enim eruditiores quàm bonis sumus: & fundus hominum, quemadmodum Acone, maiorem nocentium quam salutarium herbarum prouentum edit, & haud secus quàm Chaonia, siliquarum ad bruti animalis ingluuiem, quàm optimi farris ad epulas mortalium, & immortalium sacrificia feracior est. Quando tamen ita calidè instas, quæ animo succurrunt, haud quaquam parcam.

Dactylothecam Epirotarum Regis Pyrrhi pretiosissimam fuisse existimem, quæ achatem caperet discurrentibus venulis, non arte adumbratis, sed dædalæ sponte naturæ factis, Apollinem cum citharâ, nouémque Musas cum tibiis, plectris, lyris, cothurnis, aliisque cuiusque insignibus referentem. Fuit & Lolliæ Paulinæ pretiosissima dactylotheca, cuius mundus quadringentis sestertiis erat. fuit & gemmæ illius, pro quâ Reges Arachan & Pegu, lustra quatuor perpetua, atrocissimo bello

ſua regna diſpuluerarunt. Fuerunt & Ferdinandorum pretioſiſſimæ pretioſiſſimarum rerum thecæ; Imperatoris quidem, quâ aureum & gemmeum poculum Conſtantinopoli in munus miſſum aſſeruabatur, curſibus, & omniũ aſtrorum recurſibus ad cœlos ipſos inuidioſum: Corteſij etiam, in quâ ſmaragdi quinque, ſingulari opere, & mirâ ſcalpti varietate, quorum qui in pateram, propè erat vt regum coronas pretio antecederet. Non poſſum miſſam facere argenteam illam, ſeſquipede longam pyxidem, & dote filiæ Stiliconis diuitem, quam ab hinc annos ſeptuaginta, inter agendum in Vaticano monte fundamenta, ſtructores inuenerunt. Aliquot ex achate, plura ex cryſtallo vaſcula, ſolido ex auro pilas, muſculum ex chelidoniâ, bothrum ex ſmaragdis; omnia opere antiquo, & ſummâ arte perfecta capiebat. Capiebat etiam præter laminam auream, calamiſtrum, & plura monilia; quadraginta aureos annulos ſuarum ſingulos gemmarum pretio diſtinctos, necnon ſmaragdũ, qui caput Imperatoris Honorij expreſſum cælaturâ teneret. In pretio illa quidem magno ſunt, ſed ſcrinium opibus Perſicis deſtinatum, quo diuinam Iliada reponendam curauit, ad immortalitatem memoriæ glorioſus

orbis victor Alexander, in maiore apud me est. Opes quæ ab animo, quàm quæ à terrâ sunt, pluris facit animus rectus.

XXXV.

Dicam postremò linguam quæ

Vim Laertiadæ, breuitatem & vincat Atridæ,
Inclyta Nestorei cedat cui gloria mellis,

si prudentibus, & infestis garrulitati labris includatur, rei pretiosissimæ pretiosissimam quidem thecam ante reliquas esse censendam. Quantæ enim diuitiæ in omnibus regnis benè constitutis, minuto illo membro partæ? hoc isto anno curiarum principibus fatali, suũ ad honorem multi fasces habent, qui facundâ linguâ cassi humiles accensi, tulissent ad alienum. Linguam Asiaticè disertam, Asiaticum esse thesaurum sciunt omnes; sed linguæ esse thecam, eamque momenti maximi si quis nescit, sciat ab Harpalo talenta vicena accepisse Demosthenem, vt eloquentem linguam dolosâ veluti thecâ cohiberet. Negas habuisse linguæ thecam? vide vincula, vide ligamina, fascias, lanam, focale, quibus vnà cum collo, os obstrinxit. Tam lucrosum est silentium, quàm damnosa garrulitas. Diuersissimæ idem lin-

guæ populos poſſit regere, qui ſuam linguam poteſt. Vt enim qui valet eloquentiâ, ſuggeſtu dignus eſt: ita ſolio qui ſilentio.

Facundâ nihil eſt linguâ pretioſius vſquam.

Gloſſocomo non theca modo pretioſior vlla.

Nunquam tantum linguæ, tributum, nunquã ſilentio, atque modò. Bellè equidem, ſi vbi decet, lingua ſolueretur; ſi vbi dedecet, coerceretur. Sed (qui linguæ abuſus eſt) vitium loqui, virtus eſt; & virtutem, vitium. Sanctum etiam ſilentium prophanis, atque adeò ſceleratis ſapet.

XXXVI.

Doctè neque non argutè dicentis ſententiæ accedens, ſuam adiecit Apotropus: Commodè quod de linguâ, aurea lingua dixit, cuius laudibus mea, niſi foret plumbea impenderetur. ſed aureæ ſtatuæ maieſtatem quis plumbarius tentet augere ſui metalli humilitate, Itaque illæſâ tuâ gloriâ orationis meæ exilitate, afferam nullam pretioſiorem gemmam in pretioſiore dactylothecâ,

----quàm mentem ſanam in corpore ſano.

Quid enim eſt quod ſani corporis pretio reſpondeat? an dactylotheca Pyrrhi? an menſario-

tiorum engyothecæ? an Regum Persarum chrysomatothecæ? næ illa præ sano corpore cassæ nuces. Ecquis enim mallet imperaturus Indis, insidere elephantis cũ elephantiâ, quàm vegeto corpore ad artis medicæ contemptũ instar Panareti, pedes incedere, & imperantis mandata posse exequi? ecquis siderato capite gestare diadema, quàm saluo & incolumi rusticum ac villosum cucullum? ecquis in solio membra captus ferendo non esse scepero, quàm masculis lacertis sub ardentis etiam solis æstu ligonem versare? nemo profectò nemo tam malè sanus. Omnes omnes, pretiosissima quæque sanitati expendũt. Atque id quidem est, quamobrem Pindarus auream nominarit. non enim aurum tam aureum, quàm sanitas est. Testes habeo Imperatores, qui ducena quinquagena annua medicis pensitabant: testes Reges & nostros & exteros, qui sanitati suæ tuendæ, mirum quantum impenderint: testes etiam tot habeo quot hodiè sunt, qui pestilentiæ contagionem declinantes, domos instructissimas auro, argento, ebore, veste, supellectili, & cæteris rebus apparatissimas, humilibus tuguriis, vbi

Nec cimex, neque araneus, neque ignis
st, mutarunt.

Iam verò quid esse potest; quod insonti animo laudem præripiat? Aurúmne obryzum, æs Corinthiacum, lauta supellex,

Myrrhina, sardonyches, amethystus, Iberus, iaspis,
Indus, Calchidicus, Scythicus, berillus, achates?

næ inter animum, & ista, quanti quanti apud terræ amantes sint, plus interest, quàm stellionis inter, & aureum Phryxæi arietis exuuium. Quid enim illa, quibus insanorum diuitiæ cõstant, si rem pendimus ad veri iudicij, non falsam opinionis stateram? nihil, quàm terra siue colorata, siue pellucida sunt. Quid autem animus benè sanus? cœlum Dei. Vis scire quanti & illa, & hunc facere debeamus? quanti Natura fecerit expende. Aurum ac gemmas aut ad ima terræ viscera, aut ad profundi profundum reiecit, & tam illud quàm istas fæce obduxit: At puro sceleris animo quem assignauit locum? omnium summum: cœlestem quippe basilicã illi architectata est. Hinc videas quàm magni optimam mentem Deus optimus maximus, & quàm parui diuitias æstimarit. Quiduis tamen animæ integritati, & cuiuis diuitias mortales præferunt. Non ita Socrates, qui omnibus suadebat, neque corporum, neque diuitiarum curam prius, quàm animi habendam esse, vt plurimis thesaurus ille virtutibus, cœ-

lestibus

lestibus veluti gemmis splenderet. Nec ita Periander, qui, quid in minimo maximum foret, rogatus, Rectam esse mentem in humano corpore, respondit. nec item etiam quisquis sic loquutus,

Τρόπος δίκαιος, κτῆμα τιμιώτατον.

XXXVII.

Quum hæc dixisset, & paullùm interquieuisset, quasi diuinum mentis impetum expectaret, sic demùm effatus:

Et plusquam cistis, & plusquam nauibus actis
Et vento, & remis, homines lethalia pestis
Spicula defugiunt, laudo: sed crimina nullus,
Hoc culpo. Titulos, & turpes fornicis arcus
Quis fugitat mœchus? blandum quis amator amat ã
Tenuit epistolium? quisnam consortia vitat
Incocti vitiis, Burgundi & verba theatri
Fescennina? quis insani gurgustia Bacchi?
Aulâ vbi nocturnas celebrat Cytherea choreas
Cirratus iuuenis quotusquisque abstinet? Omnes
Deuitant febris, sed nemo Cypridis ignes.
Quis Gracchus populi turbas? quis Milo cruori
Fundenda natos homines? quis ditem apothecam
Tyttigias? quis nocturnos Catilina recessus.
(Nominibus si parco nouis, non parco piaclis

Tyttigiæ, Gracchi, (Milones, & Catilinæ
Nomine si non sunt, certè sunt crimine) Spurcam
Quis Molinæam scortator? quis tecta Senaudi
Turbator regni? paruum quænam gula (Maurum?
Et quis Guillerius syluas fugit? Ille niuosos
Ille mihi dederit coruos, cygnósque nigrantes
Quicúmque exhibeat ciuem de millibus vnum,
Qui tanquam pestis fugiat contagia noxæ.
Omnes templa ineunt, laudandâ sed prece, nemo.
Auri poscit opem Crassus, Bambalio linguæ,
Cruri Androclides, oculis vinosus Homerus,
Quis menti? Pater æternâ qui aduertis ab arce
Aures atque oculos iusta exposcentibus, iræ
Da frænos, latices Telphossæ da æstibus, imo
Quos sub corde Venus succendit; mentis auaræ
Aurea vota adime, atque animos Turbonis, & altum
Rade supercilium. Quis vota simillima dictis
Fundit? apud cunctos corpus præponderat, illi
Fumant thure foci, atque altaria lampade clarent.
Cura haud curandi est, curandi incuria nulla.
Tam leuis extremis inerat dolor vnguibus ægri,
Vt puer in cunis etiamnum sordidus, haud hinc
Obstrepat altrici: Sæuo Philotime dolori
Adfer opem, Philotime mei radicibus vnguis
Auxiliare, inquit. Medicus penitissima noscens
Ex facie, atque imis hærens pulmonibus vlcus,
Stulte, ait, effusis ô traducende cachinnis,

Arti-

Articulos quereris, Phœbæum poſcis & illis
Auxilium, tua nec curas præcordia tabi
Iam ceſſura; apium digitis tibi collige, quorum
Tanta tibi cura eſt. intra te cuditur in te
Lethiferum mortis telum; quid reſpicis vngues?
Cura animi nulla eſt, vileſcunt optima falſâ
Lance hominum, & ſemper præpollent vilia charis,

Iſtis ſuæ ſaliuæ verſibus, demulſus Muſæus, adorauit calidam laurum in ſolo glaciali, ardorem Phœbi ſub Saturni frigore, hoc eſt, ſub vietis in ſpeciem membris tam vegetam venam, &, Muſas, inquit, ab vrbibus procul viuere, & Apollinem nemoroſis in locis degere fabulam hactenus credidi, iam per te quàm verum ſit, & ſcio & video:

XXXVIII.

Apotropus abrumpendæ ſuæ laudis gratiâ, pyxidiculam prehendit, grâtiſſimi ſermonis originem, exploruturus quid ad valetudinem ineſſet. recludit, & viſum annulum vetulæ periamma in peſtem eſſe, ex Trophimo audit. Hic vultu ſubnubilo, Nempe vos igitur, inquit, inanes Aracnes telas, non æratum Palladis clypeum ferali malo opponitis? Abſit vos ab anu, annorum & mortis ludibrio, tam fœ-

dè illudi, dum eius ope mortem putatis eludere, faxo iam sciatis quæ vos impostura ludificetur. Et quem statim primum lapidem sors obiecit, annulum conquassat, in elisáque palâ nescio quid in lacertulæ formam ternis cum notis reperit, quæ exhibens, Eccum, inquit, egregium certè Auerruncum, qui omnem scilicet pestem à vobis amoliatur. Et foculo succedens, omnes annuli minutias etiam cum puluisculo, characteres, & lacertulam tardipedi Deo dat vstulanda. Instrepere omnia, crepitare: credas illic daphnona populabundis flammis deflagrare: & terrâ graueolentiâ in afflictas se nares insinuante, grauem de vsto cadauere pœnas parricidij luentẽ odorem expirari. Musæus autem & Trophimus ad hæc non magis stupere quàm expauere. Et hic quidem, esse mala Pandoræ pyxidis per viam recensita, paullò minus sibi persuadet. At ille vt parem auditæ Satyræ gratiam referret, calidum pectus ad pangendum quod sequitur carmen sollicitauit.

XXXIX.

Credula spes hominum fulcitur arundine putri,
Nescia firmatis vnquam consistere rebus.

Ecqua characteri, aut punctis, vis ecqua lacerta
Esse queat, delirantis gerrísque senectæ?
Si qua salus hinc est, & erit certissima ab auro
Docta Tholosa tuo. Pestem infortunia, mortem
Accelerant potius quàm surdo carmine tardant
Incantata. Nihil venit à nigredine quod sit
Albâ signandum conchâ. Nemo est per dæmona tutus.
Teutones acciti ferratâ calce suorum
Quadrupedum, herbosæ turbarant læta Mosellæ
Littora, terruerant Sarionem tergora passim
Purpureis punctum stellis, vndísque Sarani
Reddiderant barbos. Flauis exterrita turmis
Gallia pallebat: Pietate ac clarus auitâ,
Et princeps prisco Solymorum stemmate Regum,
Hostibus haud tergo, exculpto sed lumine notus
Guisiades, minimo contrà venit agmine. Rari
Sed quid agant homines Aduersum mille phalangas,
Quas Mediolani thorax, quas ensis Areti
Armat, & infernâ exoratus ab arte character?
Progreditur tamen ille animo imperterritus, hostem
Impetit, atque Erebi mittit sua iura monarchæ,
Ferro distringens albos pinguedine ventres,
Ventres autem? immò vinoso sanguine plenos,
Sanguineo vinóque vtres. Hîc miles auarus
Diripit exuuias, enses, hastilia, cristas,
Et tunicas ferro, tunicas & cannabe textas,
Corporibus nudis stupet in ceruice cruentâ,

Vnde

Vnde notæ pendent, ſaga quas in prælia donat.
Ite animæ, terræ cæcos intrate receſſus.
Tænarij vobis aperitur porta barathri.
Ite igitur, gratéſque amplas impendite Diti,
Quòd vos in mortem tam fidis texerit armis.

Stulta ſuperſtitio diſce hinc non credere vanis,
Diſce ruinoſis non fidere. Nil ſcheda præſtat
Nominibus maculata nouis: non temperat vndas,
Non mulcet ventos, non peſtem diſiicit, iras
Lælapis haud frænat, glandes quas ferrea iactat
Fiſtula, non retinet; flammas non comprimit, enſes
Non hebetat. Sed dictis experientia pugnat,
Credulior dicet verpis. Non vnica vernum
Tempus hirundo facit, roſa non facit vnica Maium.
An quia conceptus geminatâ nocte calentis
In Solis paterâ, ternis fruſtrà Ennoſigæo
Cuſpidibus turbante vndas, trans æquora vectus
In fluctum imminxit, ludos fecítque marina
Numina: iam cyathum capies remo ex oleaſtro
Inſtructus, ſuper æquor eas, dum turbinis ira
Sæuit, & ad bellum Boream comitatur in Auſtrum,
Atque Auſtrum in Boream? næ tu mihi dixeris, Abſit.
Non ita ſtella meam vexat Saturnia mentem,
Auſim vt tam fragili vitam committere cymbæ,
At quæ non capiat curtum vel carmen Adonis
Pelliculæ tenui, concredis ſtulte ſalutem;
Crediderit ſimili vitam quia ſcilicet vnus.

Vnius

Vnius exemplo mille insanire videmus,
Mille sed exemplis sapiunt vix vnus & alter.

Spiritu poëtico iam elanguente, pyxidem amuleti vacuam sibi dari iubet Apotropus, impletámque lapide melochite. Artemisiaco etiam puluere, & herbâ cui diuina in pestilentia in efficacitas, Angelicæ nomen fecit, reddidit cum hoc verbi: En quæ aduersus pestifera efficacissimè pollere voluit rerum optimarum æternus parens Deus. His illo volente, immò imperante vtendum. Vt enim occultæ opem Physicæ, quæ inimica illi, admitti vetat; ita fidem amicæ naturæ exposci iubet. Contra dæmon. quia quantum auctor ille Naturæ ex naturalium vsu commodi referri vult, tantum incommodi euersor iste naturæ capi velit, ex rerum omnium abusu ac superstitione. Communis illa genitrix quæ Zenoni consultrix dicitur, & prouida vtilitatum, & opportunitatũ omnium, nihil non potest adiutore Deo: At eo repugnante quid possit ars malefica? ne leue quidem suis omnibus machinis folium farfari emouere. Grates gratissimas in nos benificentissimo habuere Musæus & Trophimus: hic quidem ob donum, ille verò magis sanctos ob sermones, quibus affici animum ipse suum sentiebat. Oculos meos vir optimus suauiatus,

Cresce

Cresce puer, maiórque animum virtutibus imple.
Dixit, & abimus.

XL.

Posteræ lucis inclinante se Sole, quum ad hospitium diuerteremus, è summis gradibus aliquis certus homo, sibi qui falsò medici famã aucupabatur, cœlesti nisi alite saniores essemus, suo nobis contubernio interdixit. Se medicum scire quàm graue malum pestis, quámque capitale periculum, illo maximè tempore ab inexploratis hominibus foret. pressa de itinere narratio hominem leniuit.

Super cœnam multa de sanitatis ille præstantiâ, de tabificæ societatis fugâ, & laude artis medicæ. Remotâ etiam mensâ ipsis illis sermonibus institit, vsquedum extra cellam, perditæ (quantum ex ipso exitu coniecturam facere licet) valetudinis vrgente incommodo, processit, tanquam aquam peteret. nec inde ad nos rediit, sed in thalamo suo secubuit, & in nostro nos horâ pòst. Dum stertimus in multam lucem (imber enim non viis modo difficultates, sed & grauedinem capitibus inuexerat) inconditum fremitum audimus. Cubitu surgit Trophimus, & quid id auditionis rogãs, egregium verò medicum illum pestilentiâ extinctum, totámque anguineis propè macu

lis

lis fœdatam cutem accipit, & Musæo renunciat, qui. Nempe, inquit, serpens ille est, quem per inquietam quietem maculosis horrentem squamis vidi, qui quum stabulum funestaret, nihilo tamen minùs Æsculapius diceretur. Confusus ille ac consilij egens surgit, deinde puluere herbáque salutiferâ muniti omnes, ferali raptim stabulo excedimus. Quid scimus an mali contages in nostrûm aliquem, an in omnes penetrarit? quis incolumitatem nobis spoponderit, immò quis ad vesperum vitam, post pestilentem conuictum? Debuerat perfidus ille, si non morbum palàm suum facere, certè à nobis longè abscedere: at sese nobis adiunxit, conuixit, & quod non tolerandæ malitiæ sit, se medicum finxit, & accessum nostrum præformidare. O artes hominum! ô simulationes! ô luem humanæ societatis hypocrisin! Fictâ morbi cautione Galenus aliquis pestis ille videbatur, & en vt miserè obiit. Fugienda certè lucerna est, quæ in luculentius à se ipsâ lumen nititur euadere: fugiendi & homines qui nimium sani, nimium fidi, religiosi nimium haberi volunt. Si timendi illi, qui non timendi? Nullius securi simus, non nostratium, non nostrûm, immò ne nostri quidem. Sæpe si non semper, nobis ipsi nocemus. Omnes homines

mines homini hostes sunt, aut (quod in æquo est) esse possunt. Quos optimos iudicamus, nobis pessimos; quæ optima, pessima futura quid vetat? Itaque vt per dubios saltus permeantibus huc & illuc circunspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda ceruix: ab illis etiam marsupio qui à latronibus; ab illis corpori, qui à pestiferis; ab illis animo, qui à flagitiosis timendum denunciant. Videas inimicitias passim ab inimicis, scelus à scelestis, ab impiis impietatem damnari. Ficta virtus virus nunquã non tegit: & quàm promptum, illã dolosè præ se ferre, tam dolosè istud tegere prõptum est. Si pestis corporum quæ prodi desiderat, placidâ fronte, compositis membris, medicis verbis tam cautè celatur; quàm celantur cautius animorum pestes, quæ prodi recusant. Quum à serpente mala sint, serpentis naturam æmulantur.

Sæpe sub ignotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlúmque exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere & vmbræ.

Ita animi mala semper, corporis sæpe vmbras amant, lucem fugiunt, latebras captant, & in pectoris obscuro præsepi stabulantur. Latent etiã in virente herbâ, vt anguis ille Virgiliani Damœtæ. Quid mirùm? quum mundus serpen-

pentium pratum ſit: vbi aliquod viretum eſt, ibi aliquid viroſum ſubeſt. plurima hîc placent, quia virent; quæ diſplicere debeant quia nocent. Viror igitur virus habet; neque verò ſola foliorũ, ſed & etiam florum venuſtas, qui non rarò ſub vere ſuo, hyemẽ mortis noſtræ occulũt. Laudandus flos ille lethalis, qui quaſi ſynceritatis amore doloſas hypocriſis artes damnet, ſe mortiferum vltrò fatetur etiam dum floret, cadaueroſam faciem effingendo. ſexcenti contrà ſunt qui ſub floridulâ ſpecie crudele toxicum parant. Quam multæ etiamnum Pandoræ pyxides forinſecus ſplendent, quæ ſcateant malis ſi referentur? quantâ in potentiâ eſt Endomychocacus? quàm latè & lætè excipitur? quot vt ille de parte externâ pulcherrimi, de internâ fœdiſſimi? quàm multos æquè cõparem & Cambaiæ Regi, & mortuo nebuloni, quos tum maximè pro peſtiferis ſapiens duxerit, quum ſe maximè ſalutiferos dixerint?

Si Phrygis ad nutum, vulpes loquerentur, vt olim,
Malim vulpinis hominum quàm credere verbis.

Dum ita ſecum Muſæus iam pridem callidis ſimulationis inſultibus paſſim conquaſſatus, dicta Apotropi remetiebatur; & magis ac magis cogitantẽ, magis ac magis tædebat homi-

H

nũ societatis, à quâ tot pericula cautis etiam & prouidis capitibus impẽderent. Interea dubitabat Trophimus post certã timoris caussam, vlteriùs procedere, veritus vt quid reliquiarum præteriti mali in vrbibus superaret. sed à viatoribus confirmatus, Musæum & ipse confirmauit. Pergimus igitur iter, & Neapolin nouis ædibus inlustrem aliquando tandem peruenimus.

Aliàs alia.

* * *





GRÆCORVM LOCORVM INTERPRETATIO,

IN EPISTOLA.



Ιοδώτωρ. *Vitæ dator.*
Νέστωρ ὅς ῥα, &c. *Nestor qui Pyli rex erat arenosæ.* Iliad. β.

Numero III.

Ἰὸν ἀβλῆτα. Sagittam nouam,pennatam,atrocium firmamentum dolorum.Iliad.Δ.

I X.

Μέλλοντα. *Futurum ventum post triduum.* Pind. od.vij. Nemeor.

X I.

ΠΟΜΦΟΛΥΞ. *Bulla homo.*

XII.

Ἀκριβεῖς. *Exactos oculos habentes.* De Lynceo dictum apud Theoc. Eidyll. xxiij.

XV.

σοφία γάρ. *Solius enim sapientiæ æterna possessio.* Isocr. ad Demon.

XXI.

ἐπιλήνιος. *Præses torcularium*, ita Bacchus in suo hymno apud Orpheum.

XXII.

ὅτε τίς τε δράκοντα. *Cum quis Draconem conspicatus resiliens fugit in montis saltibus, tremórque occupauit artus, retróque recessit, pallórque ipsum occupat genas.* Homer. Il. Γ.

ἄναξ δαΐφρων. *Rex prudens varij consilij*, Odiss. Γ.

XXVI.

εὐγενὴς πτολίπορθος. *Generosus urbium euersor.* Homer. Odyss. Θ.

XXVII.

ἀπαντοκτώ. *Omnia octo.*

XXVIII.

ὃς πάντα ἐφορᾷ. *Qui omnia inspicit & audit.* Homer.Il.Α.

XXXVI.

Τρόπος δίκαιος. *Iusti mores peculium pretiosissimum.* Alij Menandro, Antiphonti alij adscribunt.Habes in Stob.serm.ix.& xxxvij.

dè illudi, dum eius ope mortem putatis eludere, faxo iam sciatis quæ vos impostura ludificetur. Et quem statim primum lapidem sors obiecit, annulum conquassat, in elisáque palâ nescio quid in lacertulæ formam ternis cum notis reperit, quæ exhibens, Eccum, inquit, egregium certè Auerruncum, qui omnem scilicet pestem à vobis amoliatur. Et foculo succedens, omnes annuli minutias etiam cum puluisculo, characteres, & lacertulam tardipedi Deo dat vstulanda. Instrepere omnia, crepitare: credas illic daphnona populabundis flammis deflagrare: & tetrâ graueolentiâ in afflictas se nares insinuante, grauem de vsto cadauere pœnas parricidij luentē odorem expirari. Musæus autem & Trophimus ad hæc non magis stupere quàm expauere. Et hic quidem, esse mala Pandoræ pyxidis per viam recensita, paullò minus sibi persuadet. At ille vt parem auditæ Satyræ gratiam referret, calidum pectus ad pangendum quod sequitur carmen sollicitauit.

XXXIX.

Credula spes hominum fulcitur arundine putri,
Nescia firmatis vnquam consistere rebus.

Ecqua

Ecqua characteri, aut punctis, vis ecqua lacerta
Esse queat, delirantis gerrísque senectæ?
Si qua salus hinc est, & erit certißima ab auro
Docta Tholosa tuo. Pestem infortunia, mortem
Accelerant potius quàm surdo carmine tardant
Incantata. Nihil venit à nigredine quod sit
Albâ signandum conchâ. Nemo est per dæmona tutus.
Teutones acciti ferratâ calce suorum
Quadrupedum, herbosæ turbarant læta Mosellæ
Littora, terruerant Sarionem tergora paßim
Purpureis punctum stellis, vndíque Sarani
Reddiderant barbos. Flauis exterrita turmis
Gallia pallebat: Pietate ac clarus auitâ,
Et princeps prisco Solymorum stemmate Regum,
Hostibus haud tergo, exculpto sed lumine notus
Guisiades, minimo contrà venit agmine. Rari
Sed quid agant homines Aduersum mille phalangas,
Quas Mediolani thorax, quas ensis Areti
Armat, & infernâ exoratus ab arte character?
Progreditur tamen ille animo imperterritus, hostem
Impetit, atque Erebi mittit sua iura monarchæ,
Ferro distringens albos pinguedine ventres,
Ventres autem? immò vinoso sanguine plenos,
Sanguineo vinóque vtres. Hîc miles auarus
Diripit exuuias, enses, hastilia, cristas,
Et tunicas ferro, tunicas & cannabe textas,
Corporibus nudis stupet in ceruice cruentâ,

Vnde

Vnde notæ pendent, ſaga quas in prælia donat.
Ite animæ, terræ cæcos intrate receſſus.
Tænarij vobis aperitur porta barathri.
Ite igitur, gratéſque amplas impendite Diti,
Quòd vos in mortem tàm fidis texerit armis.
Stulta ſuperſtitio diſce hinc non credere vanis,
Diſce ruinoſis non fidere. Nil ſcheda præſtat
Nominibus maculata nouis: non temperat vndas,
Non mulcet ventos, non peſtem diſiicit, iras
Lælapis haud frænat, glandes quas ferrea iactat
Fiſtula, non retinet; flammas non comprimit, enſes
Non hebetat. Sed dictis experientia pugnat,
Credulior dicet verpis. Non vnica vernum
Tempus hirundo facit, roſa non facit vnica Maium.
An quia conceptus geminatâ nocte calentis
In Solis paterâ, ternis fruſtrà Ennoſigæo
Cuſpidibus turbante vndas, trans æquora vectus
In fluctum imminxit, ludos fecitque marina
Numina: iam cyathum capies remo ex oleaſtro
Inſtructus, ſuper æquor eas, dum turbinis ira
Sæuit, & ad bellum Boream comitatur in Auſtrum,
Atque Auſtrum in Boream? ne tu mihi dixeris, Abſit.
Non ita ſtella meam vexat Saturnia mentem,
Auſim vt tam fragili vitam committere cymbæ,
At quæ non capiat curtum vel carmen Adonis
Pelliculæ tenui, concredis ſtulte ſalutem;
Crediderit ſimili vitam quia ſcilicet vnus.

Vnius

Vnius exemplo mille insanire videmus,
Mille sed exemplis sapiunt vix vnus & alter.

Spiritu poëtico iam elanguente, pyxidem amuleti vacuam sibi dari iubet Apotropus, impletámque lapide melochite. Artemisiaco etiam puluere,& herbâ cui diuina in pestilentiam efficacitas, Angelicæ nomen fecit, reddidit cum hoc verbi: En quæ aduersus pestifera efficacissimè pollere voluit rerum optimarum æternus parens Deus. His illo volente, immò imperante vtendum. Vt enim occultæ opem Physicæ, quæ inimica illi, admitti vetat; ita fidem amicæ naturæ exposci iubet. Contra dæmon. quia quantum auctor ille Naturæ ex naturalium vsu commodi referri vult, tantum incommodi euersor iste naturæ capi velit, ex rerum omnium abusu ac superstitione. Communis illa genitrix quæ Zenoni consultrix dicitur,& prouida vtilitatum, & opportunitatũ omnium, nihil non potest adiutore Deo: At eo repugnante quid possit ars malefica? ne leue quidem suis omnibus machinis folium farfari emouere. Grates gratissimas in nos benificentissimo habuere Musæus & Trophimus: hic quidem ob donum,ille verò magis sanctos ob sermones, quibus affici animum ipse suum sentiebat. Oculos meos vir optimus suauiatus,

Cresce puer, maiórque animum virtutibus imple.
Dixit, & abimus.

XL.

Posteræ lucis inclinante se Sole, quum ad hospitium diuerteremus, è summis gradibus aliquis certus homo, sibi qui falsò medici famã aucupabatur, cœlesti nisi alite saniores essemus, suo nobis contubernio interdixit. Se medicum scire quàm graue malum pestis, quámque capitale periculum, illo maximè tempore ab inexploratis hominibus foret. pressa de itinere narratio hominem leniuit.

Super cœnam multa de sanitatis ille præstantiâ, de tabificæ societatis fugâ, & laude artis medicæ. Remotâ etiam mensâ ipsis illis sermonibus institit, vsquedum extra cellam, perditæ (quantum ex ipso exitu coniecturam facere licet) valetudinis vrgente incommodo, processit, tanquam aquam peteret. nec inde ad nos rediit, sed in thalamo suo secubuit, & in nostro nos horâ pòst. Dum stertimus in multam lucem (imber enim non viis modo difficultates, sed & grauedinem capitibus inuexerat) inconditum fremitum audimus. Cubitu surgit Trophimus, & quid id auditionis rogãs, egregium verò medicum illum pestilentiâ extinctum, totámque anguineis propè macu

lis

lis fædatam cutem accipit, & Musæo renunciat, qui. Nempe, inquit, serpens ille est, quem per inquietam quietem maculosis horrentem squamis vidi, qui quum stabulum funestaret, nihilo tamen minùs Æsculapius diceretur. Confusus ille ac consilij egens surgit, deinde puluere herbáque salutiferâ muniti omnes, ferali raptim stabulo excedimus. Quid scimus an mali contages in nostrûm aliquem, an in omnes penetrarit? quis incolumitatem nobis spoponderit, immò quis ad vesperum vitam, post pestilentem conuictum? Debuerat perfidus ille, si non morbum palàm suum facere, certè à nobis longè abscedere: at sese nobis adiunxit, conuixit, & quod non tolerandæ malitiæ sit, se medicum finxit, & accessum nostrum præformidare. O artes hominum! ô simulationes! ô luem humanæ societatis hypocrisin! Fictâ morbi cautione Galenus aliquis pestis ille videbatur, & en vt miserè obiit. Fugienda certè lucerna est, quæ in luculentius à se ipsâ lumen nititur euadere: fugiendi & homines qui nimium sani, nimium fidi, religiosi nimium haberi volunt. Si timendi illi, qui non timendi? Nullius securi simus, non nostratium, non nostrûm, immò ne nostri quidem. Sæpe si non semper, nobis ipsi nocemus. Omnes homines

mines homini hostes sunt, aut (quod in æquo est) esse possunt. Quos optimos iudicamus, nobis pessimos; quæ optima, pessima futura quid vetat? Itaque vt per dubios saltus permeantibus huc & illuc circunspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda ceruix: ab illis etiam marsupio qui à latronibus; ab illis corpori, qui à pestiferis; ab illis animo, qui à flagitiosis timendum denunciant. Videas inimicitias passim ab inimicis, scelus à scelestis, ab impiis impietatem damnari. Ficta virtus virus nunquã non tegit: & quàm promptum, illã dolosè præ se ferre, tam dolosè istud tegere prõptum est. Si pestis corporum quæ prodi desiderat, placidâ fronte, compositis membris, medicis verbis tam cautè celatur; quàm celantur cautius animorum pestes, quæ prodi recusant. Quum à serpente mala sint, serpentis naturam æmulantur.

Sæpe sub ignotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlúmque exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere & vmbræ.

Ita animi mala semper, corporis sæpe vmbras amant, lucem fugiunt, latebras captant, & in pectoris obscuro præsepi stabulantur. Latent etiã in virente herbâ, vt anguis ille Virgiliani Damœtæ Quid mirùm? quum mundus serpen-

pentium pratum ſit: vbi aliquod viretum eſt, ibi aliquid viroſum ſubeſt. plurima hîc pla-cent,quia virent;quæ diſplicere debeant quia nocent. Viror igitur virus habet; neque verò ſola foliorũ,ſed & etiam florum venuſtas, qui non rarò ſub vere ſuo, hyemẽ mortis noſtræ occulũt.Laudandus flos ille lethalis, qui quaſi ſynceritatis amore doloſas hypocriſis artes damnet, ſe mortiferum vltrò fatetur etiam dum floret, cadaueroſam faciem effingendo. ſexcenti contrà ſunt qui ſub floridulâ ſpecie crudele toxicum parant. Quam multæ etiam-num Pandoræ pyxides forinſecus ſplendent, quæ ſcateant malis ſi referentur? quantâ in potentiâ eſt Endomychocacus? quàm latè & lætè excipitur? quot vt ille de parte externâ pulcherrimi,de internâ fœdiſſimi? quàm mul-tos æquè cõparem & Cambaiæ Regi, & mor-tuo nebuloni, quos tum maximè pro peſti-feris ſapiens duxerit,quum ſe maximè ſalu-tiferos dixerint?

Si Phrygis ad nutum,vulpes loquerentur,vt olim,
Malim vulpinis hominum quàm credere verbis.

Dum ita ſecum Muſæus iam pridem callidis ſimulationis inſultibus paſſim conquaſſatus, dicta Apotropi remetiebatur;& magis ac ma-gis cogitantẽ, magis ac magis tædebat homi-

nũ societatis, à quâ tot pericula cautis etiam & prouidis capitibus impẽderent. Interea dubitabat Trophimus post certã timoris caussam, vlteriùs procedere, veritus vt quid reliquiarum præteriti mali in vrbibus superaret. sed à viatoribus confirmatus, Musæum & ipse confirmauit. Pergimus igitur iter, & Neapolin nouis ædibus inlustrem aliquando tandem peruenimus.

Aliàs alia.







GRÆCORVM LOCORVM INTERPRETATIO,

IN EPISTOLA.



Ιοδώτορ. *Vitæ dator.*
Νέστωρ ὅς ῥα, &c. *Nestor qui Pyli rex erat arenosæ.* Iliad. β.

Numero III.

Ιὸν ἀβλῆτα. Sagittam nouam, pennatam, atrocium firmamentum dolorum. Iliad. δ.

IX.

Μέλλοντα. *Futurum ventum post triduum.* Pind. od. vij. Nemeor.

XI.

ΠΟΜΦΟΛΥΞ. *Bulla homo.*

XXVII.

ἁπαντοκτώ. *Omnia octo.*

XXVIII.

ὃς πάντα ἐφορᾷ. *Qui omnia inspicit & audit.* Homer. Il. Α.

XXXVI.

Τρόπος δίκαιος. *Iusti mores peculium pretiosissimum.* Alij Menandro, Antiphonti alij adscribunt. Habes in Stob. serm. ix. & xxxvij.



NOTAE

AD OBSCVRIORA ALIQVOT LOCA, QVÆ IN PROSA ANTE NVMERVM xxj. asterisco designantur.

I. A. M. Lectori.



PER hoc autumnale iustitium, cum beneuola Typographi facilitate MS. MISOPONERI SATYRICI, opus non omnium certè hominum legerem, operæpretium me facturum existimaui, si nonnulla obscuriora quæ in oratione soluta sunt (nam quæ in vincta quis tentet nisi doctior ac feriatior?) aut explicarem aut indicarem. sed per otium mihi non licuit vltra numerum xx. progredi. Pauculis his, Lector, & faue & fruere.

I.

Carice. *Seruiliter quòd Cares mercenariis operis quæ-stum*

ſtum factitarent, & omnibus ſe conductitios exponerent, ita factum eſt vt Κὰρ *apud Græcos pro ſeruo, & homine nauci accipiatur.*

Atym. *Crœſi filium, qui cum hoſtilem paterno iugulo gladium imminentem videret, ſoluta primum lingua locutus eſt. Herodot. lib.* I.

Calais, Zetes. *Boreadæ ſunt, qui alarum auxilio Harpyas in Ploras vſque inſulas fugarunt. Adi Apollon. Rhod. lib.* II. *Argon. Pind. Od.* IV. *Pyth.*

- - - - καὶ γὰρ ἑκὼν
Θυμῷ γέλανεῖ θᾶσσον ἔν - - τυεὶ βασιλεὺς ἀνέμων
Ζήταν κάλαΐν τε πατὴρ Βορέας - - ἄνδρας πτεροῖσι
νῶτα πε - - φρίκοντας ἄμφω πορφυρέοις.

Etenim vltro animo hilari ocyus adornabat ventorum pater Boreas Zetem & Calain, viros alis terga quatientes ambos purpureis.

Addit alas implumibus. *Virg. de Caco, lib.* VIII.

- - - - Timor addidit alas.

Cicuta. *Herba venenata, quæ ſuo frigore emaſculat. teſtis D. Hieronymus contra Iouinianum, qui ſua etiam tempeſtate Athenienſes Hierophantas cicutæ ſorbitione caſtratos memorat. Ad hoc alludit noſter.* Miſoponerus Satyra, numero XXVI.

- - - - quem non valeat plena vrna Cicutæ
Cecropidæ æditui reſtinguere.

III.

Tyrtæi. *Poëtæ elegiographi, quem Lacedæmonij oraculo moniti, vt peregrinum ducem sibi adsciscerēt, aduersus Messenios pugnaturi, sibi præfecerunt. Quo in prælio carminibus suis, tibiæq; modulis, ita eorum animos inflammauit, vt Athenienses insignem illam victoriam, quam eo die adepti sunt, Tyrtæi versibus acceptam referrent.*

Phœbi sacerdos. *Rectè, nam* x. *lib. Aeneid. Aemonides Phœbi sacerdos, de quo qui subsequitur in textu versus habetur.*

Ita Supercilium salit. *Ex superstitione antiquorum desumptum, qui res ex voto cessuras credebant si eis supercilium saliret: Pseudolus in Pseudolo Plauti.*

Spero alicunde hodiè me bona opéra aut hęc mea,
Tibi inueuturum esse auxilium argentarium,
Atque id facturum vnde vnde dicam nescio,
Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.

Præmicans. *Apul. initio lib.* xi. Video præmicantis Lunæ candore nimio completum orbem.

Stellarum princeps. *Apud Orpheum* ἀςράρχη *apud Apul. lib. cit.* Regina cœli. *Horat. carm. sæcul.*

V.

Venusinum vatem *Horatium, à Venusio Appulia oppido vbi natus est.* Iouinianus Pont.
Hinc acer venusinus amaro sublita fellē
Verba iacit.

Noris nos, &c. *lib.* 1. *serm. Sat.* ix.

Protogeustice. *Protogeustes nomen inditum Indico animali, ab eius in gustando sagacitate.*

VI.

Oneio. *Asinorum stabulo.*

Aristarchico veru. *Rigida censura Aristarchus enim Grammaticus Alexandrinus versus poëtarum principis Homeri passim obelis siue verubus appictis iugulabat quasi laus omnis Homerica ex seuero critici arbitrio pependisset.*

Cicero lib. III. *epist.* 11. *quæ est ad Appium Pulchrū:* vt enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat. *Ouid. de Ponto;*

Corrigere at res est tantò magis ardua, quātò
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Cicero lib. IX. *ep.* X. *ad Dolabellam:* Nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum & Vidium iudicem esse, Profert alter (vt opinor) duobus versiculis expensum Niciæ: alter Aristar-

ſtarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus, iudicaturus ſum, vtrum ſint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.

Mygdonias aures. *Aſininas Midæ. qui Mygdoniæ Rex fuit. Sidonius Apoll.*

--- cuius ſub gurgite nymphæ
Mygdonium fouere Midam.

Scribunt aliqui Midam ob contemptum aliquando vituperatúmque Bacchi numen, in aſinum mutatum. Alij cùm præteriret aſinos huius Dei, atque eos affeciſſet iniuria, iratum Bacchum, Midæ auriculas aſininas addidiſſe. Sunt qui dicant huic aures natura prælongas fuiſſe, & aſininarũ inſtar prominentes, atque hinc datum locum, huic fabulæ: Cùm Pan Apollinem ad cantus certamen prouocaſſet, Tmolúſque iudex electus ſecundum Apollinem pronuntiaſſet, approbantibus iudicis æquitatem cæteris qui aderant omnibus, vnus inuentus eſt Midas, qui Pana Apollini præferre non dubitarit. Quamobrem indignatus Apollo aſininas ei auriculas addidit, Ouid. XI. *Metamorph.*

--- nec delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in ſpatiũ, villiſq; albentibus implet,
Inſtabileſque illas facit, & dat poſſe moueri.
Cætera ſunt hominis: partẽ damnatur in vnã:
Induitúrq; aures lentè gradiẽtis aſelli.

Illas cùm diu regia mitra occuluiſſet, tandem à tonſore

fore animaduersum est, ac prolatum in vulgus. Vide num. XXIII. *Misop.*

Nomine Strabones .*Solin. Cap.* VI. Visu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perspexisse percentum XXXV. millia passuum Varro significat, solitúmque á Carthagine exeuntem classem Punicam, numerúmque nauium manifestissimè è Lilybetana specula denotare.

Gnosio. *Minotauro partim hominis, partim formam tauri habente, nato ex Pasiphae regina Cretæ, quæ Gnosia ab vrbe regia dicitur.* Seneca: Monstríque cæcam Gnosij vidit domum.

Minotauricidæ. *Thesei. Vide Plut. in Theseo.*

Gorgonoctonis. *Persei qui & à Nonno γοργοφόνος. Ouid.* IV. *Metamorph.*

Gorgonis anguicomæ Perseus superator.

Scytalosagittipelligeri. *Herculis, quod clauam, sagittámque & pellem leoninam gereret. nomen à Tertulliano fictum.*

Noctem Ogygiam. *Solin. Polyh. cap.* XVII. Meminisse hoc loco par est, post primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem & amplius mensibus diem continua nox inumbrasset, &c. *Ex hoc loco constat, noctem Ogygiam nouem esse menses.*

Seneca. *De Beneficiis lib.* III. *cap.* XXVIII.

Quam

Quam quidem amplissimam possedit. *Ter millies sestertium quadriennio quæsiuit, quod illi à Suilio obiicitur apud Tacitum Annal. lib.* XIII. Qua sapientia, quibus philosophorũ præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies sestertium parauisset.

Sabæi. *Strabo lib.* XVI.

IX.

Per quam genus, &c. *Lucret. lib.* I.

Hamaxobiorum. *Ptolemæus Hamaxobios vocat, quos Pompon. Mela, lib.* II. *Cap.* I. *Hamaxobitas vocat. Hæc illis data sunt nomina ἀπὸ τῶν ἁμαξῶν, id est, plaustris, quibus res suas vagè circumferunt. Idem de illis quod ille de Nomadibus.*

Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arua
Mos, atque errantes circumuectare penates.

Statanus. *Aliis Statilinus & Statillinus. Deus apud Romanos qui stantibus pueris praeesse (vnde illi nomen) credebatur. Nonius ex Varrone.*

Clearchus. *Scilicet Heracleotarum, qui nimia corporis obesitate vix quibat spiritum ducere, vix pedem mouere, vt ex Nymphi eius populari refert Athen. lib.* XII.

Phi-

Philonides. *Mirum quod de eius velocitate, Pli. lib.* VII. *Cap.* XX. à Sicyone Elin, vno die, mille ducenta stadia cucurrisse dicit. *Et lib.* II. *Cap.* LXXI. eundem ex Sicyone Elin, mille & ducenta stadia, nouem diei confecisse horis: indéque, quamuis decliui itinere, tertia noctis hora, reuersum.

Hemerodromi. *Cursores diurni qui per diem totum currunt, vt Philonides. Est & solis epitheton apud Hesychium.*

Nyctidromi. *Currentes noctu. epitheton Lunæ est apud Orpheum. Nyctidromus erat etiam Philonides, vt ex Plinio citato constat.*

Falcifer ille Deus. *Tempus, siue Saturnus, cui falx tributa. Ouid.* I. *Fastorum.*

Ante pererrato Falcifer orbe Deus.

quòd à tempore omnia incidantur & labefactentur.

Sertorius. *Plut. in eo.*

Thynni. *Plin. lib.* LX. *cap.* XV. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant, sinistróque natura hebete. *Solin. cap.* XVIII. *ab eo,* Illabuntur veris tempore, intrant dextro latere, læuo exeunt. hoc inde accidere credunt, quod dextris oculis acutiùs cernunt, quam sinistris.

Ex

Ex Athlantico æquore in med. *Consule Paulum Iouium de Rom. pisc.*

Abila. *Plinius proemium lib.* III. *claudit his verbis:* Proxima autem faucibus vtrinque impositi montes coercent claustra, Abila Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis, metæ. Quam ob causam indigenæ columnas eius Dei vocant, credúntque perfossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciem.

A Einautas. *Magistratus erat ex Hesychio qui conscensis nauibus consilia de summis reip. rebus procul à terra agitabat: rata deinde habita sententia, reuertebatur. Causam huius moris habet Calcagninus ex Plutarcho: Damascenore ac Thoante tyrannis exactis, sodalitates duæ vrbem Miletum obtinuerunt. Harum altera* Πλόντις, *altera* Κειρομάχα *dicebatur, sed cùm potentes dominarentur, & sodalitatis suæ res adsciuissent, veriti ne quando à diuersa factione opprimerentur, conscensis nauibus, & procul à terra progreßi, maximis de rebus consultabant, proinde* ἀειναῦται *appellati.*

Armuzianos. *Andreas Corsali in Epist. ad Iulianum Medicaum.*

Vos ô patricius. *Persius Sat.* I.

Thales. *Cùm domo excederet contemplandorum siderum*

derum causa, in subiectam fossam incidit, & ei tum anus domestica, Qua ratione, ô Thales cœlestia te comprehensurum putas, qui ante pedes posita non videas. *Laert. lib.* I. *& Stob. serm.* LXXVIII.

Sinas. *Iosapha Barbaro in suis relationibus.*

Philadelphicam Pharon. *Philadelphus Ptolemæus Aegypti Rex in insula Pharo octingentis talentis turrim extruxit nomine insulæ dictam Pharon, cuius noctu accensæ faces nauigantium naufrago mari cursum regerent,*

Consule verrucoso. *Q. Fabio maximo Verrucoso. Vide Iul. Obseq. cap.* XXXIV. & XXXVIII.

X.

Mineruæ Lemniæ. *Adi Luciani imagines.*

Cæsareorum, &c. *Sueton. lib.* I. *cap.* LXXXII. Atque ita tribus & viginti plagis confossus est Cæsar.

Polyandriis. *Cœmiteriis.*

XI.

Lucetius. *Iupiter.* Agell. lib. V. cap. XII. dictus est & Lucetius quod nos die & luce, quasi vita ipsa afficeret & iuuaret.



NOTAE AD OBSCVRIORA ALIQVOT LOCA, QVÆ IN PROSA ANTE NVMERVM xxj. asterisco designantur.

I. A. M. Lectori.



PER hoc autumnale iustitium, cum beneuola Typographi facilitate MS. MISOPONERI SATYRICI, opus non omnium certè hominum legerem, operæpretium me facturum existimaui, si nonnulla obscuriora quæ in oratione soluta sunt (nam quæ in vincta quis tentet nisi doctior ac feriatior?) aut explicarem aut indicarem. sed per otium mihi non licuit vltra numerum xx. progredi. Pauculis his, Lector, & faue & fruere.

I.

Carice. *Seruiliter quòd Cares mercenariis operis quæ-stum*

ſtum factitarent, & omnibus ſe conductitios exponerent, ita factum eſt vt Κάρ *apud Græcos pro ſeruo, & homine nauci accipiatur.*

Atym. *Cræſi filium, qui cum hoſtilem paterno iugulo gladium imminentem videret, ſoluta primùm lingua locutus eſt. Herodot. lib.* I.

Calais, Zetes. *Boreadæ ſunt, qui alarum auxilio Harpyas in Ploras vſque inſulas fugarunt. Adi Apollon. Rhod. lib.* II. *Argon. Pind. Od.* IV. *Pyth.*

----καὶ γὰρ ἑκὼν
Θυμῷ γέλανεῖ θᾶσσον ἔν--τυεὶ βασιλεὺς ἀνέμων
Ζήταν κάλαΐν τε πατὴρ Βορέας--ἄνδρας πτεροῖσι
νῶτα πε--φρίκοντας ἄμφω πορφυρέοις.

Etenim vltro animo hilari ocyus adornabat ventorum pater Boreas Zetem & Calain, viros alis terga quatientes ambos purpureis.

Addit alas implumibus. *Virg. de Caco, lib.* VIII.

----Timor addidit alas.

Cicuta. *Herba venenata, quæ ſuo frigore emaſculat. teſtis D. Hieronymus contra Iouinianum, qui ſua etiam tempeſtate Athenienſes Hierophantas cicutæ ſorbitione caſtratos memorat. Ad hoc alludit noſter.* Miſoponerus Satyra, numero XXVI.

----quem non valeat plena vrna Cicutæ
Cecropidæ æditui reſtinguere.

III.

Tyrtæi. *Poëtæ elegiographi, quem Lacedæmonij oraculo moniti, vt peregrinum ducem sibi adsciscerét, aduersus Messenios pugnaturi, sibi præfecerunt. Quo in prælio carminibus suis, tibiæq; modulis, ita eorum animos inflammauit, vt Athenienses insignem illam victoriam, quam eo die adepti sunt, Tyrtæi versibus acceptam referrent.*

Phœbi sacerdos. *Rectè, nam* x. *lib. Aeneid. Aemonides Phœbi sacerdos, de quo qui subsequitur in textu versus habetur.*

Ita Supercilium salit. *Ex superstitione antiquorum desumptum, qui res ex voto cessuras credebant si eis supercilium saliret: Pseudolus in Pseudolo Plauti.*

Spero alicunde hodiè me bona opéra aut hęc mea,
Tibi inueuturum esse auxilium argentarium,
Atque id facturum vnde vnde dicam nescio,
Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.

Præmicans. *Apul. initio lib.* xi. Video præmicantis Lunæ candore nimio completum orbem.

Stellarum princeps. *Apud Orpheum* ἀςράρχη *apud Apul. lib. cit.* Regina cœli. *Horat. carm. secul.*

V.

Venuſinum vatem. *Horatium, à Venuſio Appulia oppido vbi natus eſt.* Iouinianus Pont.
Hinc acer venuſinus amaro ſublita fellē
Verba iacit.

Noris nos, &c. *lib.* 1. *ſerm. Sat.* ix.

Protogeuſtice. *Protogeuſtes nomen inditum Indico animali, ab eius in guſtando ſagacitate.*

VI.

Oncio. *Aſinorum ſtabulo.*

Ariſtarchico veru. *Rigida cenſura Ariſtarchus enim Grammaticus Alexandrinus verſus poëtarum principis Homeri paßim obelis ſiue verubus appictis iugulabat quaſi laus omnis Homerica ex ſeuero critici arbitrio pependiſſet.*

Cicero lib. III. *epiſt.* II. *quæ eſt ad Appium Pulchrū:* vt enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat. *Ouid. de Ponto;*
Corrigere at res eſt tantò magis ardua, quātò
Magnus Ariſtarcho maior Homerus erat.

Cicero lib. IX. *ep.* X. *ad Dolabellam:* Niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum & Vidium iudicem eſſe, Profert alter (vt opinor) duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter Ariſtar-

ſtarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus, iudicaturus ſum, vtrum ſint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.

Mygdonias aures. *Aſininas Midæ. qui Mygdoniæ Rex fuit. Sidonius Apoll.*

--- cuius ſub gurgite nymphæ
Mygdonium fouere Midam.

Scribunt aliqui Midam ob contemptum aliquando vituperatúmque Bacchi numen, in aſinum mutatum. Alij cùm præteriret aſinos huius Dei, atque eos affeciſſet iniuria, iratum Bacchum, Midæ auriculas aſininas addidiſſe. Sunt qui dicant huic aures natura prælongas fuiſſe, & aſininarũ inſtar prominentes, atque hinc datum locum, huic fabulæ: Cùm Pan Apollinem ad cantus certamen prouocaſſet, Tmolúſque iudex electus ſecundum Apollinem pronuntiaſſet, approbantibus iudicis æquitatem cæteris qui aderant omnibus, vnus inuentus eſt Midas, qui Pana Apollini præferre non dubitarit. Quamobrem indignatus Apollo aſininas ei auriculas addidit, Ouid. XI. *Metamorph.*

--- nec delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in ſpatiũ, villiſq; albentibus implet,
Inſtabiléſque illas facit, & dat poſſe moueri.
Cætera ſunt hominis: partẽ damnatur in vnã:
Induitúrq; aures lentè gradiẽtis aſelli.

Illas cùm diu regia mitra occuluiſſet, tandem à tonſore

fore animaduersum est, ac prolatum in vulgus. Vide num. XXIII. *Misop.*

Nómine Strabones .*Solin. Cap.* VI. Visu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perspexisse percentum XXXV. millia passuum Varro significat, solitúmque à Carthagine exeuntem classem Punicam, numerúmque nauium manifestissimè è Lilybetana specula denotare.

Gnosio. *Minotauro partim hominis, partim formam tauri habente, nato ex Pasiphae regina Cretæ, quæ Gnosia ab vrbe regia dicitur.* Seneca: Monstríque cæcam Gnosij vidit domum.

Minotauricidæ. *Thesei. Vide Plut. in Theseo.*

Gorgonoctonis. *Persei qui & à Nonno γοργοφόνος. Ouid.* IV. *Metamorph.*

Gorgonis anguicomæ Perseus superator.

Scytalosagittipelligeri. *Herculis, quod clauam, sagittámque & pellem leoninam gereret. nomen à Tertulliano fictum.*

Noctem Ogygiam. *Solin. Polyh. cap.* XVII. Meminisse hoc loco par est, post primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem & amplius mensibus diem continua nox inumbrasset, &c. *Ex hoc loco constat,* noctem Ogygiam *nouem esse menses.*

Seneca. *De Beneficiis lib.* III. *cap.* XXVIII.

Quam

Quam quidem amplissimam possedit. *Ter millies sestertium quadriennio quæsiuit, quod illi à Suilio obiicitur apud Tacitum Annal. lib.* XIII. Qua sapientia, quibus philosophorũ præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies sestertium parauisset.

Sabæi. *Strabo lib.* XVI.

IX.

Per quam genus, &c. *Lucret. lib.* I.

Hamaxobiorum. *Ptolemæus Hamaxobios vocat, quos Pompon. Mela, lib.* II. *Cap.* I. *Hamaxobitas vocat. Hæc illis data sunt nomina ἀπὸ τῶν ἁμάζων, id est, plaustris, quibus res suas vagè circumferunt. Idem de illis quod ille de Nomadibus.*

Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arua
Mos, atque errantes circumuectare penates.

Statanus. *Aliis Statilinus & Statillinus. Deus apud Romanos qui stantibus pueris præesse (unde illi nomen) credebatur. Nonius ex Varrone.*

Clearchus. *Scilicet Heracleotarum, qui nimia corporis obesitate vix quibat spiritum ducere, vix pedem mouere, vt ex Nymphi eius populari refert Athen. lib.* XII.

Phi-

Philonides. *Mirum quod de eius velocitate, Pli. lib.* VII. *Cap.* XX. à Sicyone Elin, vno die, mille ducenta ſtadia cucurriſſe dicit. *Et lib.* II. *Cap.* LXXI. eundem ex Sicyone Elin, mille & ducenta ſtadia, nouem diei confeciſſe horis: indéque, quamuis decliui itinere, tertia noctis hora, reuerſum.

Hemerodromi. *Curſores diurni qui per diem totum currunt, vt Philonides. Eſt & ſolis epitheton apud Heſychium.*

Nyctidromi. *Currentes noctu. epitheton Lunæ eſt apud Orpheum. Nyctidromus erat etiam Philonides, vt ex Plinio citato conſtat.*

Falcifer ille Deus. *Tempus, ſiue Saturnus, cui falx tributa. Ouid.* I. *Faſtorum.*

Ante pererrato Falcifer orbe Deus.

quòd à tempore omnia incidantur & labefactentur.

Sertorius. *Plut. in eo.*

Thynni. *Plin. lib.* LX. *cap.* XV. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua. Id accidere exiſtimatur, quia dextro oculo plus cernant, ſiniſtróque natura hebete. *Solin. cap.* XVIII. *ab eo*, Illabuntur veris tempore, intrant dextro latere, læuo exeunt. hoc inde accidere credunt, quod dextris oculis acutiùs cernunt, quam ſiniſtris.

Ex

derum causa, in subiectam fossam incidit, & ri tum anus domestica, Qua ratione, ô Thales cœlestia te comprehensurum putas, qui ante pedes posita non videas. *Laert. lib.* I. *& Stob. serm.* LXXVIII.

Sinas. *Iosapha Barbaro in suis relationibus.*

Philadelphicam Pharon. *Philadelphus Ptolemaeus Aegypti Rex in insula Pharo octingentis talentis turrim extruxit nomine insulae dictam Pharon, cuius noctu accensae faces nauigantium naufrago mari cursum regerent,*

Consule verrucoso. *Q. Fabio maximo Verrucoso. Vide Iul. Obseq. cap.* XXXIV. & XXXVIII.

X.

Mineruæ Lemniæ. *Adi Luciani imagines.*

Cæsareorum, &c. *Sueton. lib.* I. *cap.* LXXXII. Atque ita tribus & viginti plagis confossus est Cæsar.

Polyandriis. *Cœmiteriis.*

XI.

Lucetius. *Iupiter.* Agell. lib. V. cap. XII. dictus est & Lucetius quod nos die & luce, quasi vita ipsa afficeret & iuuaret.

Di nos quasi pilas. *Plaut. in prol. Capt.*

Dei Risus gaudiales indicere dies. *Byrrhena apud Apul. lib.* II. Solemnis, *inquit*, dies à primis cunabulis huius vrbis conditæ crastinus aduenit, quo die soli mortalium sanctissimum Deum Risum hilari, atque gaudiali ritu propitiamus,

Heliopes Emped. *Vide apud Plut. de animi tranquill. versus Empedoclis.*

Valerius. *Coruinus de quo Titus Liuius lib.* VII. *&* *Agell. lib.* IX. *cap.* XI.

Adolescens Italo genere editus L. Furio, Claudio Appio consulibus, fit Tribunus militaris. Atque in eo tempore copiæ Gallorum ingentes agrum Põtinum insederunt: instruebantúrque acies à Consulibus, de vi ac multitudine hostium satagentibus. Dux interea Gallorum vasta & ardua proceritate, armísq; auro præfulgentibus gratia dimicandi ingrediens, & manu telum reciprocans, incedebat: pérque contemptum & superbiam circunspiciens, despiciénsque omnia, venire iubet & congredi, si quis pugnare secũ ex omni Rom. exercitu anderet. Tum Valerius Tribunus, cæteris inter metum pudorémque ambiguis, impetrato priùs à COSS. vt in Gallum tam immaniter arrogantem pugnare sese permitterent

terent progreditur intrepidè, modeſtéque obuiam:& congreditur,& conſiſtunt. Et conſerebantur iam manus, atque ibi vis quædam diuina fit Coruus repentè improuiſus aduolat, & ſuper galeam Tribuni inſiſtit, atque in aduerſarii os atque oculos pugnare incipit, inſibilat, obturbat, vnguibus manum laniabat, & proſpectum alis arcebat, Atque vbi ſatis ſæuierat, reuolabat in galeam Tribuni, Sic Tribunus ſpectante vtroque exercitu, & ſua virtute nixus,& opera alitis propugnantis, ducem hoſtium ferociſſimum vicit,interfecítque.

Quæ Cœlio. *Rhodigino qui circa annnm* M. D V I I I. *pone templum peruetuſtum Cornicem vidit colore aliis diſſimilem. Ipſe Cælius Rhodig. auctor & Card. de rer. var. lib.* XIV. *cap.* LXXIV.

Muſtelina. *Terentius in Eunuc.*

Hic eſt vetus,vietus,veternoſus ſenex,
Colore Muſtelino.

Timori dat colorem Muſtelinum fortè quia Muſtelæ accurſus timorem incuteret viatoribus, quaſi malo eſſet omini: Gelaſinus in Sticho Plauti:

Certum eſt Muſtelæ poſthac non credere
Nam incertiorem nullam vidi beſtiam:
Quin & ipſa decies in die mutat locum.

Eam auſpicaui ego in rem capitalem meam.

Artemone. *Aereum clypeum ſupra timidiſsimi Artemonis caput, duo ſemper famuli ſuſtinebant, ne quid noxij ſupernè excideret. Plut. in Pericle.*

Romanus ſapiens. *Seneca ep.* LXXIX.

Sphinx eſt. *Lutatius Placidius ſcribit Sphingem monſtrum fuiſſe, alas & vngues habens in ſimilitudinem Harpiarum, quod inſidens ſcopulo viæ imminenti, obſcuriſſima tranſeuntibus ænigmata proponebat, & quotquot diſſoluendo non erant vnguibus dilacerabat. interficiebátque. Aenigma autem erat huiuſmodi.* Quodnam animal manè quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet. *De hoc ænigmate Aſclepiadis verſus hi ſunt.*

Εϛι δίπυν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον. ἧ μία φωνή.
Καὶ τρίπον. ἀλλάσσει δὲ βοὴν μόνον. ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
Ερπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.
Αλλ' ὁπόταν πλείϛοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ,
Ενθα τάχος γυιοῖσιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτῦ.

huius ænigmatis nodum Oedipus ita diſſoluit, vt hominem eſſe diceret qui in pueritia manibus pedibúſque repens verius quàm incedens quadrupes eſt: factus vir, vt qui nullo alio quàm pedum adminiculo nititur, bipes: ingraueſcentibus autem annis,

annis, assumpto scipione, tripes. Quam solutionem illa tam ægrè tulit, vt se statim de saxo præcipitem dederit.

Cum Menecrate. *Medico siculo, qui nullam ab iis mercedem accipiebat quibus medebatur, sed id tantum petebat, vti liberati se ipsius esse seruos faterentur, cúmque Iouem nominarent. Ad Philippum Macedonum Regem scripsit in hæc verba* Φιλίππῳ Μενεκράτης ὁ Ζεὺς εὖ πράττειν. Philippo Iupiter Menecrates salutem. *Ad ea rescripsit Philippus :* Φίλιππος Μενεκράτει. ὑγιαίνειν. Συμβουλεύω σοὶ προσάγειν σεαυτὸν ἐπὶ τοῖς κατὰ Αντίκυραν τόποις. Philippus Menecrati sanitatem. Consulo vt ad Anticyram te conferas. *His eum verbis mentis morbo laborare significans quòd elleborum daret Anticyra plantam sananda insaniæ idoneam. Quod hîc Ælianus lib.* XII. *Philippo, Plutarchus in Regum apopht. Agesilao adscribit. Eidem Menecrati ad cænam vocato eum Deorum suorum comitatu, medio in triclinio loco editiore mensam adornari iusserat Philippus, magnifico, & sacrorum apparatu, extructa insuper media in mensa ara, in qua parum thus & fructuum omnis generis primitiæ adolebantur, ita vt cùm cæteris apponerentur conuiuis fercula varia, huic cum assectis suis pueri thymiamata libaminàque, qualia in sacris*

ſolent, adolerent. Qua ratione exceptus diuino primùm honore gauiſus eſt, obrepente verò paulatim fame homo eſſe conuictus, ſurrexit, diſcedénſque ſeſe iniuria affectum queſtus eſt, dum eius ſtultitiam Philippus feſtiuiſſimè derideret.

Cum insolente Alexandro Iouis F. *Vide Plut. in eo. Q. Curtius lib.* IV. *de Ammonis oraculo loquens:* At tum quidē regēm propius adeuntem maximus natu è ſacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iouem reddere affirmans. Ille ſe verò ait & accipere & agnoſcere, humanæ ſortis oblitus. Conſuluit deinde an totius orbis imperium fatis ſibi deſtinaret. Vates æquè in adulationem compoſitus, terrarum omniū rectorem fore oſtendit. Poſt hæc inſtitit quærere, an omnes parentis ſui interfectores pœnas dediſſent. Sacerdos parentem eius negat vllius ſcelere poſſe violari: Philippi autem omnes interfectores luiſſe ſupplicia: adiecit, inuictum fore donec accederet ad Deos. Sacrificio deinde facto, dona & ſacerdotibus & Deo data ſunt, permiſſúmque amicis, vt ipſi, quoque conſulerent Iouem. Nihil amplius quæſiuerunt, quàm an author eſſet ſibi diuinis honoribus colendi ſuum regem. Hoc quoque acceptum

ceptum fore Ioui vates respondit, vt ipsi victorem regem diuino honore colerent. Vera & salubri æstimatione quidem oraculi, vana profectò responsa videri potuissent: sed fortuna, quos vni sibi credere coegit, magna ex parte auidos gloriæ magis, quàm capaces facit. Iouis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam iussit: rerúmque gestarum famam dum augere vult, tali appellatione corrumpit.

Cum degenere Commodo, Hercules. *Commodus Marci Antonini F. patri dissimillimus, de quo Ausonius,*

Commodus insequitur pugnis maculosus [arenæ,
Threcidico princeps bella mouens gladio.
Eliso tandem persoluens gutture pœnas,
Criminibus, fassus matris adulterium.

De eius insolentia Herodianus lib. I. *his Polit. verbis:* Eo vecordiæ petulantiæque processit, vt paternum primò cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio, Herculem se Iouis filium iusserat appellari, depositóque principum Romanorum cultu, leonis pellem substerneret, manuque clauam gestaret, simul purpureas sibi, atque auro intextas vestes circundaret, non sine omnium irrisione: quippe eodem schema-

te & fœminarum luxum, & heroum virtutem repræsentabat. Talem se videlicet cottidiè præstabat.

Bacchi cum Antonio. Adi Velleïum Paterculum.

Flore suo sepulchralis calcariæ. Napelli flore caput demortui exhiberi author est And. Matthiol. lib. IV. cap. LXXIII. in Diosc. Et Bod. lib. III. sect. XIII.

Spatalo-cinædi *Molles delicati.* Ioannes à Vvouweren ad Arb. Glossæ: *delicatus σπάταλος ἀπὸ τοῦ σπαθᾶν*, vnde & *Spathalium* Tertull. *manus Spatalio circundari solita, Spatalo-cinedi*, qua licentia Lucill. mœchocinædi.

Odysseæ conditorem. *Homerum Odyss. ρ*

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Thetidis. *Veneri ex mari ortæ atribuit Misoponerus quidquid pulchritudinis in nymphis marinis est. Thetidis pedes argenteos, Galatheæ lacturum candorem, & Amathiæ auream cæsariem. Quod ad argenteis Thetidis pedes* Homerus sæpe ita versum terminas

---- θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα

Galatheæ. *Homerus. Il. Σ.*

...... ἀγακλειτὴ Γαλάτεια.

Lunensi marmore cand. *Luna Hetruciæ oppidum ad mare, cuius habet excidium Bellef. hist. trag.*

trag. Celebrabatur olim candidißimi marmoris fodinis, quod propterea Lunense dictum. & Luna metallifera. Papinius in Sylu.

Anne metalliferæ repetit iam mœnia Lunæ?

Ferreo colore basaltes tetr. *Basaltes genus est marmoris ferrei coloris de quo Plin. lib.* XXXVI. *cap.* VII.

Amathiæ cæsariem. *Homer. Iliad.* Σ.

---- ἐυπλόκαμος τ' Αμάθεια.

Iungantur, &c. *Virg. ecl.* VIII.

Hili tyrannide. *Lucret.*

Nec prorsum vitam ducendo demimus Hilũ;

Siue in alueolo siue in trapeza calculis. *Calculi hic bifariam accipiuntur, pro iis quibus rationes subducimus, Gallicè* mereaux *vel* iectõs. *Et pro iis quibus in alueo ludimus*, tables à ioüer. *Iuuenalis sic vsurpat. Pro lusoriis etiã illis quos vulgò* scacos *nominamus, quósque ita Lucanus ad Pisonem describit:*

Te si forte iuuat, studiorum pondere fessum
Non languere tamẽ, lusuſq; mouere per artẽ,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Vt niueus nigros, sic & niger alliget albos:
Sed tibi quis nõ terga dedit? quis te duce cessit
Calculus, aut quis nõ periturus perdidit hostẽ?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem

Dum fugit, ipſe rapit, longo venit ille receſſu.
Qui ſtetit in ſpeculis, hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam veniētem decipit hoſtē.
Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato
Obligat ipſe duos, hic ad maiora mouetur,
Vt citus & fracta prorōpat in agmina mandra,
Clauſáque deiecto populetur mænia vallo.
Interea ſectis, quamuis acerrima ſurgant
Prælia militibus, plena tamen ipſe phalange,
Aut etiam pauco ſpoliata milite vincis,
Et tibi captiua reſonat manus vtráque turba.

Qua hîc Piſo, eadem laude dignus erat L. ille Auguſtus quem Miſoponerus luſtricum ſibi parentem fuiſſe innuit.

Magiolinus. *Florentinus quidam in eo, quem iam deſcripſit Lucanus, ludo adeo exercitatus, vt quātumuis attento colluſore, per alium memoriter luderet, oculos non aduertens. Auctor Volaterranus.*

Veturius ſiue Minucius. *Conſule Plutarchum in Publicolâ.*

Porcius Latro. *Porcius Latro incœpta ſemel ſtudia non poterat interrumpere, vbi ſe ad ſcribendum concitaſſet, iungebantur noctibus dies, & ſine internallo ſibi inſtabat, nec deſinebat, niſi deficeret; Cum ſe ludo tradiderat, omnes ludiones fatigabat ſi venationi, omnes agreſtes in ſyluis & montibus natos laboris patientia, ac venandi ſolertia preuocabat.*

tabat. Vide Senecam qui eius supra modum miratur ingenium, fuerat enim illi condiscipulus.

Pix mea plusquam Illyrica. *Ouidius.*

Nigrior Illyrica cui pice sanguis erat.

Michaël Anglicus.

Nigrior Illyrica Nariciáue pice.

Niuem Gallica cand. *Gallicā niuem dixit quemadmodum Petronius Arb. hyemem Gallicam. Vide Turn. Aduers. lib. xix. cap. vij. Candidius verò aliquid esse niue, loquendi ratio à Latinis & Græcis vsurpata. Ouid.*

Candidior pura Carbo poëta niue.

Homerus Iliad. x loquens de Rhesi equis,

Τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον, ἠδὲ μεγίστους.

Λευκότεροι χιόνος· θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Huius certè pulcherrimos equos vidi, atque maximos, candidiores niue, cursu autem vētis similes. *Matron Parodus apud Athenæum li.* IV. *illud* λευκότερον χιόνος *ad panem Atticæ cœnæ detorquet:*

Λευκοτέρους χιόνος, ἔσθειν δ' ἀμύλοισιν ὁμοίους.

& alibi ad bulborum radices.

Oesypo. *Fimo & sordibus velleribus ouium hærentibus. Herotianus in Hippocratis lexico. Ouid. lib.* III. *de arte.*

Oesypa quid redolent quamuis mittantur Athenis,

Dem-

Demptus ab immundo vellere succus ouis.

Radicula. *Herba est quam vulgus seplasiariorum saponariam vocat, ob succum quo præstat lauandis lanis accommodatissimum. Plin. lib.* x. *cap.* III. *At quæ vocatur Radicula lauandis demùm lanis succum habet, mirum quantum referens candori mollitiaque.*

Cephiso. *Fluuio oues candefaciente. Plin. lib.* II. *cap.* CIII.

Clitumni. *Agri falisci fluuij, cuius aqua pota candidos boues faciunt.* Prob. lib. II.

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda greges.

XIV.

Delphici alitis. *Petron. Arb.*

- - - de cœlo Delphicus ales
Omina læta dedit.

Ithacam Sapient. *Vlissis. Tull. lib.* I. *de orat.* Ac si nos, id quod maximè debet nostra patria delectat, cuius rei tanta est vis, ac natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquã nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret; quo amore, &c.

XV.

Iatrice. *Medicina.*
Hygieiam. *Sanitatem.*
Multum ille,&c. *Virg.* I. *Aeneid.*
Iubet quiduis,&c. *Horat.* III. *od.* XXIV.

XVI.

Catinensi lapide. *Pumice, nam.*
Cum Catana ardenti nimiũ vicina Typhæo.
sit, nigris pumicibus scatet. Iuuet. sat. VIII.
Si tenerum attritus Catinensi pumice lũbum.

XVIII.

Clitorio. *Fluuio cuius aquam gustantibus vini fastidium inducitur. Ouid. vlt. Metamorph.*
Clitorio quicunque sitim de fonte leuauit,
Vina fugit, gaudétque meris abstemius vndis.
Ouis Monedulæ. *Adi Philostratum in Apollonij vita lib.* III. *& in insularum icone.*

XIX.

Poëta ille Treius. *Anacreon ex Teo Ioniæ ciuitate, vnde Teius & hic & ab Horatio vocatur.* vocatur

tur, & ab Ouidio vinosus lib. III. *de Arte*

Sit quoque vinosi Teïa musa senis.

Et in suis ipse versibus suam vinolentiam prodit, quare meritò ac ino vuæ strangulatus periit, vt refert Plin. lib. VII. *cap.* VII.

Præter alia, in quibus suam temulentiam aut celebrat aut tuetur, hoc habet carmen:

Η γῆ μέλαινα πίνει
Πίνει δὲ δένδρε αὐτὴν,
Πίνει θάλασσα δ' αὔρας,
Ο δ' ἥλιος θάλασσαν,
Τὸν δ' ἥλιον σελήνη
Τί μοι μάχεσθ' ἑταῖροι.
Η' αὐτῷ θέλοντι πίνειν

Ex Eliæ Andreæ interpretatione:

Terræ bibunt feraces,
Plantæ bibunt & illas.
Auras Thetis marina,
Et aureus Thetin sol:
Bibitque Luna Solem.
Quid increpatis ergo
Me, dum bibo, sodales.

XX.

Corsicanum. *Quam dulce mel Hymettæum & Atticum, tam amarum Corsicanum. Seruius Maurus in*

in illa IV. *Georg.* Dulcia mella premes, non eſt, *inquit*, ſuperfluum epitheton. Nam ideo dicit dulcia, quia etiam ſunt amara, vt Corſicana. *Fit id ex amaræ taxi copia quæ illic eſt, è qua apes mella legunt.*

En, Lector, quæ paucis tibi horis congeſſi.

FINIS.









